De

Isocratis Demonicea.

Dissertatio Inauguralis

Quam

Ad Summos in Philosophia Honores

Ab Amplissimo

Philosophorum Ordine Lipsiensi

Rite Impetrandos

Scripsit

Ricardus Bruno Ponickau

Muelsenensis.

Stendalis

Typis Franzenii et Grossii

MDCCCLXXXIX.

Fratri Carissimo

Sacrum.

De

Isocratis Demonicea

scripsit

Ricardus Ponickau

Muelsenensis.

Iam multum tractata est quaestio, num paraenesis ad Demonicum vere sit Isocratis, oratoris Atheniensis nobilissimi. Inter veteres quidem pauci de authentia incerti fuerunt; qui dubitaverunt, opinionem suam aut causis nihil valentibus aut omnino non confirmaverunt. Quanti enim illorum grammaticorum, qui in vita Anonymi commemorantur, aestimanda sit auctoritas, cum non solum primam, sed etiam alteram et tertiam adhortationem *διὰ τὸ ἀσθενὲς τῆς φράσεως* ab Isocrate abiudicaverint, quamquam hic ipse suas esse has duas orationes testis est,[1]) iam satis demonstratum est. Ac ne dubitatio quidem, quae loco illo Harpocrationis movetur, quo oratio Isocrati Apolloniatae ascribitur,[2]) diu stare potest. Harpocrationem enim non consulto et cogitate, ut Lehmanus de Lehnsfeld vult,[3]) Apolloniatam orationis auctorem indicasse, inde sequitur, quod alio loco s. v. *παράκλησις* scribit: *ἀντὶ τοῦ προτροπή · Ἰσοκράτης Παραινέσεσι · διόπερ ἡμεῖς οὐ παράκλησιν εὑρόντες* e q. s. (cf. I, 5); nam cum Harp., si de Isocr. Atheniensi verba facit, nomen sine ullo additamento afferat,[4]) dubium mihi quidem non videtur, quin vel illo loco non Apolloniata, sed Atheniensis dictus et additamentum illud *Ἀπολλωνιάτης* errore Harpocrationis ipsius aut interpolatoris cuiusdam ortum sit.[5]) Ac ne illud quidem, quod Pfundius potissimum, ut orationem Apolloniatae vindicet, premit,[6]) ullius momenti est, quod Suidas inter scripta eius *Προτρεπτικόν* enumerat. Illud quidem statuere licet *Προτρεπτικόν* Apolloniatae adhortationem

---

[1]) cf. XV, 73, III, 11, ubi Isocrates expressis verbis is nominatur, qui *ἕτερον (λόγον), ὡς χρὴ τυραννεῖν,* scripserit, XV, 253 sqq.

[2]) s. v. *ἐπακτὸς ὅρκος · Ἰσοκράτης Ἀπολλωνιάτης ἐν ταῖς πρὸς Δημόνικον Παραινέσεσιν.*

[3]) De oratione ad Demonicum Isocrati abiudicanda. Lugd. Batav. 1879. p. 5.

[4]) velut s. v. *Ἴων · Ἰσοκράτης ἐν τῷ περὶ τῆς ἀντιδόσεως;* s. v. *Καδμεία · Ἰσοκράτης Πανηγυρικῷ,* sexcenties.

[5]) Licet sane suspicari s. v. *παράκλησις* paraenesin falso Isocrati Atheniensi ascriptam esse, sed non est verisimile, cum nusquam alibi Apolloniata auctor nominetur.

[6]) De Isocratis vita et scriptis (progr. Berol. 1833) p. 20.

ad virtutem fuisse nec cum Blassio facio, quod vel eam ob causam illum *Προτρεπτικόν* hanc paraenesin esse posse negat, quod orator § 3 eam protrepticis sophistarum opponat.[1]) Num enim Suidas illud discrimen, quod auctor inter haec duo orationum genera facit, observaverit, valde dubito. Itaque potuit ille *Προτρεπτικός* adhortatio ad virtutem esse; immo id necessitate quadam concludendum est: an putas discipulum imitatum esse sophistas, quorum iactationes et declamationes magister vehementissime impugnabat? Nonne multo verisimilius videtur, discipulum idem sprevisse et vitasse, idem adamasse, quod magistrum? Sed iunioris Isocratis adhortationem fuisse hanc ne Suidas quidem videtur putare. Scribit enim alio loco: *Ἰσοκράτης εἶπεν · ὁ γὰρ φαύλως διανοηθεὶς περὶ τῶν ἰδίων οὐδέποτε καλῶς βουλεύσεται περὶ τῶν ἀλλοτρίων* (cf. I, 35). Quem Isocratem dicit? Nempe eum, qui *κατ' ἐξοχὴν Ἰσοκράτης* a grammaticis appellatur.[2]) Suidae igitur testimonio nihil proficiunt, qui Pfundium sequuntur.

Multo maioris ponderis est quaerere, quid Dionysius Halicarnassensis, qui summo studio et acumine oratorum scripta perscrutatus in genuinis a spuriis secernendis raro a vero aberravit, de hac oratione senserit. Inspiciamus verba, quae facit in iud. de Isocr. X: *Ἔχων δὲ πολλοὺς αὐτοῦ καὶ ἄλλους διεξιέναι λόγους πρὸς πόλεις τε καὶ δυνάστας καὶ ἰδιώτας γραφέντας, ὧν οἱ μὲν εἰς τὴν τοῦ βίου σωφροσύνην τὰ πλήθη παρακαλοῦσιν, οἱ δ' εἰς μετριότητα καὶ νόμιμον ἀρχὴν τοὺς δυνάστας προάγουσιν, οἱ δὲ κοσμίους τῶν ἰδιωτῶν ἀπεργάζονται τοὺς βίους κ. τ. λ.* Vix quisquam neget Dionysium primum dicere or. III, deinde adhortationem ad Nicoclem, tum ad Dem., ac ne minimam quidem suspicionem de huius authentia in animum eius irrepsisse; in summas autem captiones se indueret, si quis, num forte inter orationes amissas paraenesis eiusdem argumenti fuisset, deliberaret. Nec auctor artis rhetoricae Dionysio falso[3]) ascriptae Isocrati paraenesin non vindicavit loco illo (V, 1), quo Isocratem suum et Echecratis amicum nominat, quem Muretus[4]) et H. Stephanus[5]) mirum in modum ita intellexerunt, ut Dionysii et Echecratis aequalem auctorem orationis esse putarent.

Nequaquam his locis exhausta sunt testimonia veterum, qui sine ulla dubitatione in paraenesi Isocratis manum agnoscebant. Quater

---

[1]) Blass, Att. Ber. II. p. 256.

[2]) Praeterea, ut Blassius l. d. de Harp. monet, mirum esset, quod Suidas in universum adhortationis, non adh. ad Dem. mentionem fecisset, quoniam titulus in aperto erat.

[3]) Hoc Blassius probavit in specimine, quod inscribitur: De Dionysii Halic. scriptis rhetoricis. Bonnae 1863 p. 26.

[4]) Var. lect. c. I.

[5]) In libro, qui inscribitur: Isocratis diatribae I. 1593.

ab Hermogene in libro περὶ μεθόδου δεινότητος loci ex or. I. ut Isocratei afferuntur § 18. (ap. Spengel., Rh. Gr. II, 440 περὶ παρίσου vel ap. Walz., Technogr. Gr. III, 421), § 1. (ap. Speng. II, 446 περὶ τοῦ ἀνεπαχθῶς ἑαυτὸν ἐπαινεῖν, Walz. III, 430), § 50. (ap. Speng. II, 449 περὶ διηγήσεως vel ap. Walz. III, 434), § 31. (ap. Speng. II, 451 περὶ τῶν κεκρατηκότων ἐν τοῖς ἀκροαταῖς παθῶν, Walz. III, 437). Aliorum testimonia, quibus post Hermogenem scrupulus non est iniectus, ut Max. Planudis, Gregorii Corinthii, in disceptationem vocare non oportet, cum ab illorum quos dixi criticorum aetate longius absint, quam ut fidem eorum valde augere possint. — Videmus igitur neminem veterum de orationis authentia dubitasse[1]) praeter illos incertos grammaticos; dubitationes recentioribus demum temporibus ortae sunt.

Quem in errorem Muretus et Stephanus inciderint, iam supra demonstravi, quorum hic quidem praecepta et sermonem discipulo Isocratis aut alio illius saeculi scriptore digna esse, nedum Isocrate ipso summo studio negavit. Huius saeculi initio Coraes in ed. Isocratis[2]) illorum opinionem falsam esse ostendit, ita tamen, ut paraeneseos originem ad Isocratis aetatem revocaret, sed ab eo propter duas potissimum causas abrogaret: primum quod nonnulla praecepta oratori in regia civitate, non in populari viventi convenirent, deinde quod orationis forma atque indoles in Isocratis ingenium non caderent. Exemplum Corais secuti Orellius[3]) et Pfundius in programmate supra allato de adhortationis authentia dubitaverunt.

Accuratissime autem Benseler in recensione editionis Demonici et Euagorae a Schneidero in usum scholarum compositae, quibus de causis orationem pro spuria haberet, disputavit.[4]) Iam antea de ea in libro de hiatu in scriptoribus graecis verba fecerat, sed ibi sententiam secutus erat, quam maxime Paulyus mediam inter adversarios authentiae et defensores viam ingressus defenderat.[5]) Is enim, quamquam multa a consuetudine sermonis Isocratei aliena essent, tamen in prooemio et peroratione ita agnosci manum oratoris attici iudicaverat, ut ei opusculum tribuendum esset. Sed cum a permultis quasi enchiridii instar tritum tractatumque esset, non esse mirum, quod multis interpolationibus esset depravatum. Quam quidem sententiam, quae nuper Gehlerto probata est,[6]) Benseler primum in prooemio editionis Isocrateae, ubi Apolloniatae orationem ascripsit, deinde, in recensione quam dixi editionis Schneiderianae ita reliquit, ut non

---

[1]) cf. Keil., anal. Isocr. 1885. p. 13 sqq.

[2]) In Ἑλλην. Βιβλιοθ. Par. Didot 1807. II. p. 1 sq.

[3]) Opusc. Graec. vet. sententiosa 1819, 1821.

[4]) In Jahn. Ann. LXXXII, 1860. p. 121 sqq.

[5]) Aliquot quaestt. Isocrateae. Heilbronn 1828.

[6]) De elocutione Isocrateae partic. prior. Lips. 1874. p. 15.

partes tantum, sed totum opusculum spurium esse accuratius exponeret. Nam quod antea interpolatoribus vitio verterat, iam praeter crimina sermonis ab Isocrate alieni et turbati sententiarum ordinis maioris etiam ponderis existimavit: in nulla oratione Isocratea, si iudiciales exceperis, tot et tam foedos hiatus legi, quam in prima. Quod quidem argumentum quamquam Blassio non ita placuit, tamen idem aliis Benseleri criminibus probatis orationem, ut alii iam antea, e ludo Isocrateo exisse suspicatus est.[1])

Negari igitur nequit, authentiae gravissimos adversarios exstitisse, inter quos Benseleri, utpote qui in Isocrate pertractando maxime versatus sit, et Blassii, ut qui oratorum graecorum sermonem et totam indolem accuratissime perspexerit, auctoritas authentiae fidem magnopere videntur labefactare.

Sed ne defensores quidem originis Isocrateae defuerunt. Primus hoc saeculo Spengelius opinionem, qua Apolloniata orationis auctor esse putabatur, impugnavit[2]) et Sauppius multa in oratione invenit, quae Isocratis Atheniensis paraenesin esse probarent, nihil, quo alii oratori tribuendam eam esse suspicari cogeremur.[3]) Defensorum partes Strangius quoque elegit cum in annotationibus ad Isocratis orationes,[4]) tum in libelli, qui inscribitur »Kritische Bemerkungen zu den Reden des Isocrates« praefatione (p. XII sqq.).[5]) Qui postea his vv. dd. accessit, O. Schneider multa ille quidem ab Isocratis sermone aliena inesse concessit, sed cum eo tempore fortasse exorta essent, quo oratoris ars nondum ad eam perfectionem pervenisset, quam in posterioribus scriptis tantopere admiraremur, ea excusanda putavit.[6]) Sed est, ut id hoc statim loco absolvam, cur hanc defensionem reiciamus. Nam praeterquam quod vix credibile est iuvenem tanta, quantam videmus, prudentia atque experientia sene digna adolescentulum adhortatum esse, praeterquam quod provectior scribentis aetas patris Demonici amicitia confirmata videtur, negligendum non est ante a. 390 orationem scribi non potuisse, cum usque ad hunc fere annum in iudiciali genere Isocrates versatus et tum demum ad philosophiam docendam transgressus sit, quam docentem auctor ipse se inducit § 3: *σὺ μὲν γὰρ παιδείας ἐπιθυμεῖς, ἐγὼ δὲ παιδεύειν ἄλλους ἐπιχειρῶ,*

---

[1]) Att. Ber. II, p. 256 sqq.

[2]) *συναγωγὴ τεχνῶν* Stuttgart. 1828. p. 154.

[3]) Apospasm. or. attic. p. 245.

[4]) In Jahn. Ann. 1833—1836.

[5]) Contra Bremium, qui in edit. complurium orationum scripserat: „neque libri ad Demonicum rationem habemus, quippe cum de eius authentia dubitemus.“

[6]) In praef. edit.: Isocrates. Ausgewählte Reden. 1. Bändchen (ad Dem., Euagoras, Areopagiticus) 1859. 1874². M. Schneider filius in edit. tertia, quam curavit, p. 1 sq., orationem spuriam ducit.

καὶ σοὶ μὲν ἀκμὴ φιλοσοφεῖν, ἐγὼ δὲ τοὺς φιλοσοφοῦντας ἐπανορθῶ. Initio autem fere huius philosophicae disciplinae or. *κατὰ τῶν σοφιστῶν* scripta est (cf. XV, 193), in qua iam excultam oratoris artem cognoscimus et quae a reliquis neutiquam ita abest, ut stili causa ad illud tempus eam revocare cogamur.[1]) Haec igitur excusatio Schneideri collabitur.

Alio modo Sandysius orationis fidem tutatus est.[2]) Ut enim, quae Benseler in libro de hiatu disputaverat, repelleret, ad veterum rhetorum et codicum auctoritatem provocavit et similitudine conexuque praeceptorum secundae et primae orationis huius authentiam demonstratam putavit. Sed cum non omnia, quae Benseler in Jahn. Ann. monuerat, respexisset, ante hos duodecim annos Henkelius in programmate graece scripto[3]) quaestionem denuo tractavit, multa a Sandysio omissa supplevit, maxime autem Benseleri crimina examinavit multaque prospere correxit aut refutavit; Paulyi quoque sententiam breviter reiecit, cum et locis illi suspectis ne unum quidem hiatum esse et in ceteris multa, quae Benselerum postea offenderunt, inesse moneret (p. 27).[4])

Ei autem, qui post Henkelium de hac oratione scripserunt, omnes fere orationem genuinam esse negant.[5]) E quibus Lehmanus de Lehnsfeld in specimine supra allato et Jahrius[6]) plus minusve Benseleri vestigiis institerunt: illum praeter ceteras causas etiam figurarum Gorgianarum, quae in oratione inveniuntur, crebritas, quam alii contra authentiae indicium esse voluerunt, hunc, quamquam et ipse hiatus ullius momenti esse negavit compluresque Benseleri errores detexit correxitque, maxime prava praeceptorum dispositio offendit; atque cum paraenesin non modo non genuinam, sed etiam interpolatam et alienis posterioris temporis additamentis esse depravatam putaret, summo labore, quae nexum disturbare ei videbantur, resecare, reliqua inter se melius conectere et in priorem statum restituere studuit: profecto periculosae plenum opus aleae.

Ante hos quinque annos Albrechtius magnam similitudinem, quae inter multa primae et secundae paraeneseos praecepta intercedit,

---

[1]) Explicatius hoc oxposuit Lehm. de L. l. d. p. 13 sqq.

[2]) Ad. Demon. et Panegyricus. London, Oxford and Cambridgo 1868, in praefatione.

[3]) *Θεοδώρου Ἀγκυλίωνος τῶν περὶ Ἰσοκράτη ζητήσεων βιβλίον ά.* Rudolst. 1877.

[4]) A defensoribus Wrobelius stat, qui novum testimonium Chalcidii profert (Z. f. ö. G. XXVI (1875) p. 743 sq.).

[5]) Authentiam defendit Hartlich. „Exhortationum a Graecis Romanisque script. historia et indoles.“ Lpz. Stud. XI (1889) p. 210—222. cf. infra annotata.

[6]) Quaestiones Isocrateae. Hal. 1881.

non tam Isocratem auctorem indicare, ut aliis visum erat, quam testimonium originis non Isocrateae esse iudicavit.[1]) Quod idem nuperrime vel Keilio visum est. Hic quidem v. d. summo acumine exponit,[2]) Demonicum regem illum Cypri esse, qui in nonnullis nummis occurrat, verumque esse, quod Constantinus Porphyrogennetus[3]) et Tzetzes[4]) pronuntiant. Quod autem Demonicus in hac oratione non rex, sed civis, non Euagorae, sed Hipponici filius sit, in eo agnosci rationem posterioris cuiuslibet rhetoris, qui ut or. II. quam maxime imitaretur, vel Nicoclis fratris nomen elegerit, necessaria autem mutaverit. Quae viri d. sententia multa habet, quibus commendari videatur, sed multa quoque sunt, quae ei opponi possint, praecipue id, Isocratem ipsum, ut Demonicus vere idem sit, qui in illis nummis, illam nominis patris et ordinis filii mutationem facere potuisse. — Mihi quidem omnibus, quae in Demoniceam prolata sunt, criminibus eam spuriam esse persuaderi non potuit. Itaque hanc quaestionem, quamquam iam satis diu acta est, et multa, quae dicturus sum, ab aliis iam prolata vel significata sunt, tamen cum naturam orationis, de qua in altera parte verba faciam, etiam defensores authentiae parum respexisse mihi videantur, retractare haud inutile visum est.[5])

---

[1]) Philol. XLIII (1884) p. 244 sqq.

[2]) Herm. XXIII (1888) p. 374 sqq.

[3]) De them. 15.

[4]) Chil. XI, 658 sq.

[5]) Hartlich, cuius egregium specimen, cum opusculum meum iam confecissem, inspicere mihi licuit, id quod valde doleo, idem fere, quod in parte altera dicturus sum, protulit.



I.

Ac primum Benselerum hiatus crebritas in oratione vehementissime offendit. Exstant enim in cod. Urb., cuius ut optimi auctoritatem J. Bekker secutus est, non minus triginta et unus hiatus,[1]) inter quos tam foedos et ab Isocratis consuetudine tam alienos esse concedendum est, quam vix in ulla alia oratione, si iudiciales exceperis. Rectissime autem Benseler, qui primus inter recentiores uberius ad eum usum, quem inde ab Isocrate scriptores graeci poetas imitantes plus minusve observaverunt[2]) in egregio de hiatu libro animum intendit, quantam diligentiam Isocrates potissimum in hunc usum contulerit, demonstrat. Quod ne veteres quidem fugit; nam multa habemus et luculentissima testimonia, e quibus id elucet.[3]) Quin etiam Max. Plan. (ap. Walz. V, 469) et Joh. Siceliotes (ap. Walz. VI, 156) locum ex ipsius Isocratis Arte excerptum afferunt, quo de hiatu verba facit: *δεῖ (δὲ) ἐν τῇ μὲν λέξει τὰ φωνήεντα μὴ συμπίπτειν· χωλὸν γὰρ τὸ τοιόνδε.*[4]) Nulla igitur cum sit dissensio de oratoris studio hiatus evitandi, totius quaestionis quasi cardo est, ut videamus, quomodo in hac oratione vocalium concursiones explicandae sint. Cui difficultati enodandae Sandysius leve sane auxilium et vix tolerabile reperit. Licet enim Isocrates talem hiatus vitandi legem, qualem Max. Plan. testatur, tulerit, licet persaepe eam secutus sit, tamen ipsum interdum neglexisse non improbabile existimat. Quam opinionem nec minus causam, quam Sandysius ad eam stabi-

---

[1]) Henkelius duodetriginta ex Bekkeri ed. enumerat; sed in ea tres iam sublati sunt.

[2]) Num Gorgias, Isocratis magister, initium hiatus vitandi fecerit, ut Maasius (Herm. XXII, p. 586 sqq.) vult, quaeritur.

[3]) cf. Henkel. p. 6 sq.

[4]) Respicienda esse mihi videntur haec verba. Nam quamquam de huius Artis authentia magnae exstant dubitationes, tamen quae leguntur Isocratis ingenio ita respondent, ut Blassio assentiar, qui praecepta a discipulo collecta et composita esse putat (Att. Ber. II, p. 98).

liendam profert, Henkelius (p. 7 sq.) optime refutavit.[1]) Sed ne Henkelio quidem assentiri possum, qui eo hiatus excusare studet, quod tota orationis indoles ab epideicticis plane discrepet.[2]) Primum enim in ipso prooemio, quod Isocrateum esse posse etiam Benseler in libro de hiatu non infitiatur et quod maxime cum aliis orationibus congruit, nonnulli graviores hiatus exstant, ita ut illa Henkelii excusatio infringatur. Deinde autem, id quod a Schneidero (in ed. praef. p. V.) premitur, in oratione prima scriptorem hiatum vitare voluisse dilucide cognoscitur. De qua re explanatius verba facere mihi liceat.

Legitur § 2. *τεκμήριον μὲν τῆς πρὸς ὑμᾶς εὐνοίας.* Strangius, qui in Jahn. Ann. II, 1. 1833 p. 76 sqq. Urbinatis lectionem *πρὸς ἡμᾶς* defendit, ita interpretatur. Oratorem hunc librum Demonico mittere, ut ostendat, quantum gaudeat, quod patris in se benevolentiam filius susceperit. Postea autem Strangius cum ipse, quam contorta haec interpretatio esset, intellegeret, ad lect. *πρὸς ὑμᾶς* rediit. Hic igitur pro *πρὸς σὲ εὐνοίας* auctor scripsit *πρὸς ὑμᾶς*: num alia de causa, nisi ut illius concursionis acerbitatem effugeret? Videmus porro studium hiatus vitandi § 4. *τοσούτῳ μᾶλλον — ὅσον οἱ μέν.* Sexcenties enim Isocr. *τοσούτῳ — ὅσῳ* dicit, multo rarius *τοσούτῳ-ὅσον* et id semper fere, si vocalis sequitur, ut VIII, 47 *ὅσον ἐκεῖνοι.* 143 *ὅσον οἱ μέν.* XI, 32 *ὅσον ἐγώ.* XIII, 20 *ὅσον οὗτοι.* Semel vocalis non sequitur XVI, 36 *ὅσον τους μέν.*

Persaepe porro Isocr. numero plurali *ἡμεῖς, ἡμῶν* etc. utitur, etiamsi singularis antecedit aut sequitur, maxime ante vocem a vocali incipientem. Velut III, 60 *οἷάπερ περὶ παρόντος μου — τὴν εὔνοιαν τὴν πρὸς ἡμᾶς ἐν τοῖς ἔργοις.* V, 105 *νῦν δὲ φοβοῦμαι, μή τινες ἐπιτιμήσωσιν ἡμῖν, εἰ.* XI, 32 *τοσούτῳ πλέον ἡμῶν ἀπέχεις τοῦ πιστὰ λέγειν, ὅσον ἐγώ.* XII, 16 *τοῖς τε λόγοις παραδείγμασι χρώμενοι τοῖς ἐμοῖς — ὥστ' οὐδ' ἀμελεῖν ἡμῶν ἐθέλουσιν.* 17. *ἕως*

---

[1]) Sand. alio praecepto a Max. Planude ex Arte exhausto nititur, a quo ipse idem Isocrates deflexerit: *ὅλως δὲ ὁ λόγος μὴ λόγος ἔστω· ξηρὸν γάρ· μηδὲ ἔμμετρος· καταφανὲς γάρ.* Votare enim hic oratorem *λόγον ἔμμετρον εἶναι:* nihilosecius inveniri trim. iamb. IV, 170 *ἐχρῆν γὰρ αὐτούς, εἴπερ ἦσαν ἄξιοι.* Alii versus addi possunt, ut VI, 107 hexam. *Ἔστι δ' ἁπλοῦν τὸ καλῶς βουλεύσασθαι περὶ τούτων.* VI, 48 (cf. VII, 8) tetram. troch. *Ὅστις οὖν ὁρῶν τοσαύτας μεταβολὰς γεγενημένας,* et Cicero (Or. 190) Hieronymum Rhod. e multis libris Isocr. triginta fere versus elegisse dicit. Cf. autem, quae Henk. l. d. contra dicit.

[2]) Orationum iudic. ratio non est habonda. Quamquam enim in eis praeter Trapezit. et or. in Euth., in quibus foedissimos invenimus, hiatus item evitantur, tamen cum ot ante epideicticas scriptae sint et sermonis vulgaris consuetudinem imitentur, orator multos admisit, a quibus in epideicticis abhorruit.

μὲν οὖν τοὺς λόγους ἡμῶν ἐλυμαίνοντο.[1]) cf. XII, 15, 19; XV, 56, 158, 164. Idem bis in or. I. occurrit: § 5. *Διόπερ ἡμεῖς οὐ παράκλησιν εὑρόντες* et § 51. *τοῖς ὑφ' ἡμῶν εἰρημένοις.* Num autem illud *καλὸν μὲν ἔργον ἐπιχειροῦσιν* § 3, ut Schneider vult, huc trahi possit, valde dubito. Recte enim Benseler et alii monent, *ἐπιχειρεῖν* apud Isocr. semper cum dat. vel infinit. coniunctum esse et ne apud alios quidem scriptores huius constructionis vestigia nisi rara indagari. Quid autem impedit, ne librariorum temeritate in nonnullis codd. *ποιεῖν* excidisse putemus, ut Coraes vult et Henk. concedit (p. 19), praesertim cum cod. Ambr. et cod. Scaph., quem editores Turr. afferunt, illud servarint? Quamquam enim Strangius l. d. *ποιεῖν*, quod a librariis insertum esse putat, ab Isocr. cum *ἐπιχειρεῖν* coniunctum non esse docet, nisi *ποιεῖν* pro verbo antecedenti substitutum sit, ut XII, 64, tamen non intellego, quid miri habeat, si *ποιεῖν* pro *ἐργάζεσθαι* positum esse conicias. In constructione autem *καλὸν ἔργον ἐπιχειροῦσιν ἐργάζεσθαι* vix offendas. Illud igitur *ποιεῖν* servatum velim. Hoc quidem modo dubitatio Lehmani d. L. simplicissime tollitur, qui mirum in modum exponit (p. 22), Isocratem sine dubio, ne hiatus existeret, alio verbo usurum fuisse. Quasi vero alius scriptor verborum ingeniique tam inops fuerit, ut non idem facere posset, si hiatum effugere eius interesset!

Itaque quoniam omnes consentiunt, auctorem hiatu abstinere studuisse, certum est omnes, qui elisione aut contractione facillime exstingui possunt, librariis crimini esse dandos. Sunt hi: § 7. *χρησιμωτέρα δὲ εὐγενείας.* § 21. *τῇ δὲ ὀργῇ* (a Bekkero sublatus). § 24. *μήτε ἄπειρος.* § 32. *ὑπὸ οἴνου.* § 34. *παρὰ δὲ ἡμῶν αὐτῶν.* § 48. *ἐνθυμοῦ δὲ ὅτι.* § 36. *τὰ ἐκείνων.*

Praeterea duo exstant, ad quos tollendos eandem adhibere licet rationem.[2]) § 11. *ζῆν σε ὥσπερ,* ubi Blassius scribit *ζῆν σ' ὥσπερ* et § 37, ubi Urb. *οἷα ἄν* (a Bekk. sublatus) exhibet, quod sine ulla dubitatione mutari potest in *οἷ' ἄν*, nam saepe *α* neutrius plur. elisum reperitur, ut in *ὅσα, ποῖα* XVI, 39, *ἅττα* III, 47, *τρία* IV, 140, *ἅπαντα* XIV, 1, aliis. Fortasse autem alias medelas magis comprobes. Benseler enim ostendit (de hiat. p. 16) *μέ* libenter, *σέ* semel (V, 150 *σ' οὐκ*) elidi. Contra eiusdem quintae orationis duobus locis in Urb. eadem elisio transpositione parva evitata est; praebet enim § 75. Vulg. *σε ἐπιβουλεύειν,* Urb. *ἐπιβουλεύειν σε,* § 133. Vulg. *πείθειν σε, εἰ,* Urb. *σε πείθειν, εἰ.* Licet igitur illo quoque loco scribere *δεῖ σε ζῆν.* Pro Urbinatis *οἷα ἄν* Vulg. et Scaph. praebent *οἷάπερ ἄν*, quod

---

[1]) Recte hic Bens. *ἡμῶν,* quod Vulg. et Ambr. praebent, lectioni Urbin. *μου* praetulit.

[2]) cf. O. Schneider. praefat.

Blassius in textum recepit. Quam lectionem praeferam. Illud enim περ Isocr. persaepe adiectivis, pronominibus relativ., particulis vocali subsequente adiungit, ut VI, 100 οὗπερ ἐτάχθησαν. VIII, 65 ἐπειδήπερ ὑπεμείνατε. XIV, 34 οἷάπερ ἐποίησαν. 36. ὥσπερ ἄν. 37. ἅπερ ἄν. XV, 17 εἴπερ οἷόν τ' ἦν. 28. εἰς ἵνπερ ἄν.

Tales hiatus, qui sexcenties in codd. occurrunt,[1]) Bens. in omnibus orationibus una adhortatione ad Dem. excepta sustulit. Itaque optimo iure a Schneidero (in praef.), quod sibi non constiterit, accusatur et male se defendit v. d. (l. d.), cum consulto ea de causa in or. I. eiusmodi hiatus se admisisse dicit, quod eam pro spuria haberet. Nam, ut Henk. (p. 13) recte dicit, cum aliis locis hiatibus evitandis auctorem operam navasse in aperto sit, id quod Bens. ipse concedit, removendi erant, si qui facillima opera removeri possunt, non solum alibi, sed etiam in or. I.

Inter eos, qui remanent, hiatus non minus novem sunt, qui propterea nihil offensionis habent, quod περί vel τί vocali praecedit: § 10. περὶ αὐτόν. § 18. διδόμενόν τι ἀγαθόν. § 24. περὶ ἐκείνους. § 33. περὶ αὐτῶν. § 34. περὶ ὧν et περὶ ἀλλοτρίου. § 41. ὅτι ἄν et bis περὶ ὧν. Nam sexcenties eiusmodi concursiones in omnibus orationibus Isocr. occurrunt nec unquam orator se eis abstinere studuit.[2]) Unus porro item Isocratis usu facile excusatur. § 37. καὶ αὐτός: ut in or. VIII quater invenitur: § 2. καὶ εἰρήνης. § 14. καὶ ὅτι. § 84. καὶ οὐκ. § 86. καὶ ἑκατόν. De alio autem inter vv. dd. lis est. § 35. τὰ ἑαυτοῦ. Henk. eum contractione tollere vult; quomodo autem id fieri possit, iure Lehm. d. L. (p. 20) miratur. Blassius in eo non offendit, Lehm. d. L. tolerabilem eum esse negat. Equidem Blassio assentior, cum XV, 122 inveniatur τῷ ἑαυτοῦ, ubi Bens. et Blass. illud τῷ ἑαυτοῦ iniuria delere mihi videntur.[3])

---

[1]) In or. II. hi apud Bekk. exstant: § 5. ἐπειδὰν δὲ ἐνθυμηθῶσι. § 8. τό γε ἐπιχείρημα. § 11. ὥστε οὐδενί. § 20. ταῖς δὲ ἀληθείαις. § 32. οὐχ οἷόν τε ἀλλ' ἤ et καρτέρει δὲ ὡς. § 35. τὸ δὲ ἐπ' αὐτῶν.

[2]) In or. II. undecim ap. Bekk. inveni. § 6. περὶ ἅ. §§ 11, 18, 25, 28 (bis) περὶ ὧν. § 28. ὅτι ἄν et περὶ ἀλλήλων. § 39. περὶ αὐτῶν. § 42. περὶ αὐτῶν.

[3]) Locus hic est. ὧν ἐνθυμούμενος τῇ μὲν δυνάμει τῇ τῆς πόλεως τοὺς πολεμίους κατεστρέφετο, τῷ δ' ἤθει τῷ ἑαυτοῦ τὴν εὔνοιαν τὴν τῶν ἄλλων προσήγετο, νομίζων e. q. sq. In nullo cod. desunt haec verba (Laurent., quem Baiterus sequitur, praebet τῷ αὐτοῦ), quae Bens. ab aliis addita esse suspicatur. Sed manifestum est membra τῇ μὲν δυνάμει et τῷ δ' ἤθει, τῇ τῆς πόλεως et τῷ ἑαυτοῦ ita inter se respondere et opposita esse, ut verbis τῷ ἑαυτοῦ exstinctis sensus debilitetur. Minime autem existimare animum induco, Isocratem, ut hiatum non ita foedum vitaret, sermonis perspicuitatem obscurasse.

Soli qui restant undecim hiatus magis minusve offendunt. Sunt hi: § 3. *ἐπανορθῶ. ὅσοι.* § 9. *ἠγάπα, ἀλλ᾽ἀπέλαυε.* § 9. *ὑφίστατο. οὐδέ.* § 11. *καταριθμησαίμεθα. ἀλλά.* § 20. *τῷ δὲ λόγῳ εὐπροσήγορος.* § 34. *τὰ δόξαντα. Ἡγοῦ.* § 38. *δύνασθαι, ἀνέχου.* § 38. *τὸ ἴσον.* § 38. *ὠφελεῖ, ἡ δέ.* § 40. *τῷ μὲν σώματι εἶναι.* § 49. *παντὶ ἐλαττουμένους.*

Quorum ex numero statim duos removere non est difficile. Loco enim verbi *ὑφίστατο* § 9. iam Bekker *ὑπέμενεν* recepit, quae lectio nunc paene omnibus probatur. Id quoque, quomodo illius *τὸ ἴσον* § 38. asperitas vitanda sit, vix dubites. Nam cum semper ab oratore *ἴσον ἔχειν* sine articulo adhibeatur, ut VII, 69, XII, 179, XIV, 20, XVII, 57, XVIII, 23, cum articulo, si pluralis genetivo utitur, ut XIV, 5, XV, 21, XVIII, 50, non nimia audacia cum Blassio *τό* ut a librariis insertum delere licet.

Iam quaeritur, qua ratione reliqui e medio tollantur, id quod faciendum esse ex eis, quae supra demonstrata sunt, apparere mihi videtur. Auctorem enim, quisquis est, sive Isocrates ipse, sive, ut nonnulli volunt, unus de discipulis, maxime ne hiaret sermo, operam navasse omnes consentiunt. Ut or. a discipulo quodam scripta sit, eodem tamen iure, ne dicam necessitate, ac si a magistro, si quid contra legem hiatus vitandi ab eo latam peccatum est, ad illum referendum esse negare possumus. Nam cum discipuli magistri consuetudinem omnibus modis imitari studeant, nonne mirum esset, si ex Isocratis ludo profecti ad hiatus legem severam illam quidem, sed non ita difficilem servandam omne studium non contulissent? Quod ut per se probabile est, ita Ps.-Demetrii testimonio firmatur[1]): *Ἰσοκράτης μὲν γὰρ ἐφυλάττετο συμπλήσσειν αὐτὰ* (sc. *τὰ φωνήεντα*) *καὶ οἱ ἀπ᾽ αὐτοῦ.* Itaque si idem studium discipulorum statuendum est, eis, qui orationem ab Isocrâte abrogant, discipulo vindicant, idem certe labor consumendus est ad hiatus in illa exstinguendos, qui authentiae defensoribus.

Tres occurrunt hiatus, qui ea de causa ab O. Schneidero et Henkelio excusantur, quod verba maxima interpunctione seiungantur. § 3. *ἐπανορθῶ. ὅσοι.* § 11. *καταριθμησαίμεθα. ἀλλά.* § 34. *τὰ δόξαντα. Ἡγοῦ.* Confugit Henk. ad sententiarum brevitatem et sensus intercapedinem; unam autem difficultatem non satis videtur respexisse. Nam post *τὰ δόξαντα* pausa aperta est: num autem idem de duobus aliis locis dici potest? Exstant enim in prooemio ita ut, cum uno tenore oratio producatur, illa excusatio parum valeat. Nam vel in maxima interpunctione Isocrates tanta constantia a vocalium concursu abhorret, ut e ceteris orationibus duas tantum Henk. afferre potuerit

[1]) De eloc. c. LXVIII. ap. Speng. Rh. Gr. III, 326.

(p. 13), quibus transpositionis medela nullo codice datur. Sed v. d. ne ipse quidem coniecturae suae magnam fidem habuit; nam ad illos locos sanandos complures proponit vias. § 3. scribit *ἐγὼ δ' ἐπανορθῶ τοὺς φιλοσοφοῦντας*. Bona sane ac non reicienda medicina! Quid enim? Num forte sensus pondus vel membrorum concinnitas turbatur, cum legas *σοὶ μὲν ἀκμὴ φιλοσοφεῖν, ἐγὼ δ' ἐπανορθῶ τοὺς φιλοσοφοῦντας*? § 34. Henk. duo remedia offert (p. 14). Primum proponit *Πάντων ἡγοῦ*, cum Isocratis mos sit, ut eiusmodi genetivum superlativo adiungat. Sed hoc ne probem, eo impedior, quod compluribus aliis locis orationis item deest talis genetivus, ita ut hic locus, nisi hiatus esset, nullam haberet offensionem. Deinde pro *ἡγοῦ* aliud vocabulum, velut *νόμιζε*, substituere vult; nam a librariis interdum pro aliqua voce aliam idem significantem scriptam esse. Cuius rei complura exempla affert. Sed illis locis ab eo allatis nonnulli codd. aliud vocabulum praebent, hoc autem omnes idem. Equidem in hoc hiatu, quoniam enuntiata arte non cohaerent, minus offendo. § 11. Henk. scribit: *εἰ πάσας καταριθμησαίμεθα τὰς ἐκείνου πράξεις*. Hunc autem locum aliter sanare conabor. Compluries enim apud Isocr., si non compos. *καταριθμεῖν*, tamen *ἐξαριθμεῖν, ἀπαριθμεῖν, ἀριθμεῖν* occurrit, semel vel in eadem fere coniunctione, quae Blassio tanta *ὑπερβολή* videtur, ut eam ab Isocrate prorsus abhorrere putet[1]); ut XV, 46, XII, 131, 142, XV, 114, ep. IX, 5. Ubique genus activum, nusquam medium inveni, quare nescio an hoc quoque loco activo uti liceat, ita ut scribamus: *εἰ πάσας τὰς ἐκείνου πράξεις καταριθμήσαιμεν. ἀλλά*, praesertim cum antecedens *α* dittographia ex *α* in *ἀλλά* ortum esse conicere non sit difficile. Qua ratione cum usus Isocrateus magis servatur, tum hiatus facillime tollitur.

Eorum, qui restant, sex hiatuum duos transpositione removendos esse cum Henkelio consentio. § 9. *ἠγάπα παρακαίρως, ἀλλ' ἀπέλαυε* et § 38. *δύνασθαι μὲν πλεονεκτεῖν.*[2]) § 20. foedissimus est hiatus *τῷ δὲ λόγῳ εὐπροσήγορος*, quem nimia audacia Blassius tollere conatur scribens *τῷ λόγῳ δ' εὐπροσήγορος*. Henkelii coniectura *τοῖς μὲν τρόποις — τοῖς δὲ λόγοις* audacior illa quidem est, sed mihi magis probabilis videtur, si ea respicimus, quae paulo post sequuntur; nam cum *εὐπροσηγορίας* natura explicetur, item plur. *τοῖς λόγοις* usurpatur (*εὐπροσηγορίας δὲ τὸ τοῖς λόγοις αὐτοῖς οἰκείως ἐντυγχάνειν*) ac ne pluralis quidem *οἱ τρόποι* multum offendet, si § 4. *τὰ τῶν τρόπων ἤθη* et § 13. *τῆς τῶν τρόπων καλοκἀγαθίας* respicies.

---

[1]) Att. Ber. II, p. 259; de his *ὑπερβολαῖς* postea dicam.

[2]) Blass., ut antea Bens. voluit, praebet *δυνάμενον*, quod in antiquioribus edd. invenitur; sed recte Schneider (cf. ann. ad h. l.) verbi *παρασκευάζειν* talem constructionem non solum apud Isocr, sed omnino apud script. graec. inusitatam esse monet.

Contra Blassii remedium § 40. adhibere licet, ubi pro *τῷ μὲν σώματι εἶναι φιλόπονος* scribi potest *τῷ σώματι μὲν εἶναι φιλόπονος*. Mihi autem lect. vulg. *τὸ μὲν σῶμ' εἶναι φιλόπονος* (*τὴν δὲ ψυχὴν φιλόσοφος*) magis arridet.[1]) Nam neque talis elisio ab usu Isocrateo abhorret cf. IX, 30 *τὸ σῶμ' ἐν ἀσφαλείᾳ*, IV, 161, V, 62, XI, 10, XVI, 29 *μέγ' ἐφρόνησεν*, XX, 13 *εὕρημ' ἔχειν*, XVI, 38 *πρᾶγμ' ὑπό*, 40 *οἱ τριάκονθ' οἱ*, 46 *ἔγκλημ' ἐστί*; neque talis accusativus offendet, si IX, 41 *εὐφυέστατος ὢν τὴν γνώμην*, XI, 43 *χείρους — τὴν διάνοιαν*, XII, 123 *ὅμοιοι τὰς φύσεις*, 136 *μυρίων ἐπῶν τὸ μῆκος*, ep. IV, 5 *ἀσθενέστεροι τὰς φύσεις*, IX, 19 *τηλικαῦτα τὸ μέγεθος*, alios eiusmodi locos contuleris.

Maiorem difficultatem habet hiatus § 38. *ὠφελεῖ, ἡ δέ*. Variae sunt codicum lectiones: Urbin. *τὸ δέ* vel *τὰ δέ*, qua hiatus vitatur, Vulg. *ἡ δέ*. Vulg. praebet usitatam constructionem, sed hiatum admittit, Urbin. hiatum evitavit, sed praebet constructionem inusitatam. Quidnam praeferendum est? Henkelii emendationem, qui pro *ὠφελεῖ ὀνίνησιν* substituit, cum audacior mihi videatur, omittam; Bens. *τὸ δέ* Urbinatis reicit, postea autem *τούτου δέ*, quod in tribus optimis codd. legitur (in Urb., Scaph., Ambr.; Vulg. *ταύτης δέ*), tolerat, »quia tum *χρήματος* erit supplendum« (De hiat. p. 35). Multum autem inter duos locos interesse negem. Ut enim et *τὰ μέν* et *κἀκείνων μέν* ad *χρημάτων*, sic etiam *ἡ δέ* (*τό δέ*) et *τούτου δέ* (*ταύτης δέ*) ad *δικαιοσύνη* referenda sunt et magnis tantum argutiis, si illud *τὸ δέ* improbatur, hoc (*τούτου δέ*) potest servari. Nonne etiam *τό δέ* ad *δικαιοσύνη* ut universum ad rem spectare potest? Non ita usitata sane haec dictio est, sed non inaudita; nam Schneider, qui idem sentit cum Blassio nonnulla ostendit exempla: Sol. frg. 16 (Bergk) *οὐ διαμειψόμεθα τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον, ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδόν ἐστιν*. Plat. Theaet. p. 176 B. *οὐχ ὧν ἕνεκα οἱ πολλοί φασι δεῖν πονηρίαν μὲν φεύγειν, ἀρετὴν δὲ διώκειν, τούτων χάριν τὸ μὲν ἐπιτηδευτέον, τὸ δ' οὔ*. Her. IV, 23. *καρπὸν δὲ φορέει κυάμῳ ἴσον — τοῦτο ἐπεὰν γένηται πέπον*. cf. Isocr. X, 42. Itaque Urbinatis *τὸ δὲ — τούτου δὲ* non improbaverim. Reliquum est, ut pauca de hiatu § 49. *παντὶ ἐλαττουμένους* addam, qui omnium difficillimus est ad removendum. Nam neque transpositione leni id fieri potest, neque quod pro *παντί* Henk. substitui vult *πάντως* (p 15), ad sensum quadrat, nam ut in antecedentibus *μόνον* cum *τῷ λόγῳ*, ita hic *παντί* cum *τῷ βίῳ* arte conectendum est. Quare locum integrum esse nego; fortasse, ut Henk. (praeter *πάντως*) proponit, *τῶν ἄλλων* est supplendum, sed id nimis incertum est.

---

[1]) Bens. et. Fuhr.: *τῷ μὲν σώματι φιλόπονος εἶναι;* sed lect. vulg. maiorem concinnitatem membrorum praebet.

Omnes igitur fere hiatus ita tollere licet, ut emendationes a probabilitate minime recedant. Nec mirum est, quod plures graves in hac or., quam in ceteris insunt.[1]) Nam licet paraenesis in universum integra sit, tamen cum a permultis, ut scimus, trita et lectitata sit, magis admiraremur, si omnium verborum pristina consecutio plane salva mansisset. Quid enim facilius fit, quam duorum verborum transpositio, si quis vocalium concursionem aut omnino non aut non anxie observaverit? An formam servare eius multum interfuisse putas, qui argumenti causa orationem tractabat? Itaque non intellego, cur paraenesin propter hiatus ab Isocrate abiudicemus: immo haec causa, ut etiam Blassius[2]) et Jahrius[3]) concedunt, omnino nihil valet.

---

[1]) In or. II praetor illos leviores, quos enumeravi, hi graviores (in Urb.) occurrunt.

§ 3. *καθ' ἑκάστην τὴν ἡμέραν βουλεύεσθαι, ἐπειθ' οἱ νόμοι.* Blass. cum Stob. — *βουλεύεσθαι, τὴν ἡμέραν;* Vulg. *ἀγωνίζεσθαι τὴν ἡμέραν.*

§ 11. *ἀγωνίζεσθε. Ὧν.* § 37. *φρόντιζε, ὅπως*, ubi Bens. ε elidit, quamquam talis elisionis nullum exstare exemplum concedit.

§ 38. *τοῖς ἔργοις ἐπιτέλει. ὧν τὰς δόξας.*

§ 40. *καὶ μὴ θαύμαζε, εἰ.* Bens. *μὴ θαυμάσῃς. εἰ* cf. I, 44, V, 1, 81, 116, XI, 50, epp. I, 9, IV, 13, VII, 12, IX, 12.

Ne unus quidem hiatus locis Benselero suspectis exstat.

[2]) Att. Ber. II p. 257.

[3]) p. 5.

II.

A.

Iam transeamus ad aliud Benseleri crimen, quod multis vel eorum, qui hiatus indicio omnino nullam vim tribuunt, ad fidem orationis pervertendam videtur sufficere. Versatur hoc in sermone, ut Benselero quidem aliisque videtur, parum Isocrateo.

Ac primum non minus centum et octo voces profert[1]), quae in ceteris orationibus Isocr. frustra requirantur. Ingens sane multitudo, quae obiter legentem quasi opprimat. Quid enim? Potuitne fieri, ut in una oratione 52 paragraphorum ab uno eodemque scriptore tot voces usurparentur, quas in ceteris orationibus multo amplioribus haud dubie repudiabat? Vel haec enumeratio satis firma gravisque videtur, quae animis pendentes ad Benseleri partes trahat, resistentes et adversantes plane evincat.

Sed primum erit, complura vocabula falso a Bens. in catalogum *τῶν ἅπαξ εἰρημένων*, quae vocantur, ascripta Henkelio et Jahrio praeeuntibus expungere. Quorum tria iam Henk. detexit (cf. p. 17). § 46. *εἰλικρινής*, quod VI, 81, § 23. *ἐπακτός*, quod X, 37, § 23. *ἐπιορκεῖν*, quod XV, 18, XVIII, 3, 56 legitur. Addidit Jahrius (p. 7) duo: § 26. *κακοποιία*: XII, 122[2]) et §§ 1, 2 *συνήθεια*: VII, 57. Quattuor autem alia §§ 17, 32, 43. *εὐλαβεῖσθαι*, § 41. *σιγή*, § 32. *μέθη*, § 31. *εἴκειν* hic mittam, quoniam in fragmentis, quorum authentia parum certa est, exstant.[3]) Duo autem adiciam, quippe quae a scri-

---

[1]) J. J. LXXXII 1860 p. 124. Non centum et novem sunt, ut B. ipse et omnes posteriores numerant.

[2]) In X, 7 erravit, fortasse *κακοποιίας* pro *θαυματοποιίας* legit.

[3]) Velut Isocratis dictum laudatur a Max. (Confess. Serm. per Excerpt. p. 589 ed. Combef) δ'_3. *Καὶ κυβερνήτης ἀγαθὸς ἐνιότε ναυαγεῖ καὶ ἀνὴρ σπουδαῖος ἀτυχεῖ.* Idem ad verbum Demophilo (in vit. curat.) tribuitur cf. Mullach. frgg. phil. gr. I, p. 486, 36.

barum incuria profecta putari possint § 7. *θαρσαλέως* cf. ep. VII. 3 *θαρραλεώτερον*, et § 12. *ἐφάμιλλος*, quod in *ἐνάμιλλος* emendem; bis enim, V, 68 et X, 23, in Vulg. *ἐφάμιλλος* legimus, cum meliores codd. *ἐνάμιλλος* praebeant. Porro vix *ἅπαξ εἰρημένα* iudicabimus § 15 *μανικός*, §§ 10, 27. *μεγαλοπρεπής*, § 15. *προπετής*, cum adverbia *μανικῶς* V, 65, *μεγαλοπρεπῶς* VII, 29, XV, 119, XVI, 34, *προπετῶς* VI, 52, XII, 272, XV, 20, ep. II, 3 (*προπετέστερον*), et § 32 *συμμέτρως*, cum adiect. *σύμμετρος* compluries, ut V, 110, XII, 135, XV, 138 inveniamus. Varia enim afferre possum exempla e ceteris orationibus, ut *ἀναμαρτήτως* tantum XII, 15, *ἀναμάρτητος* ut XII, 64, ep. II, 16; *τελείως* semel XIII, 18 (*τελέως* VIII, 19), adiect. XII, 9, 32, 242, XV, 187, 200, ep. IV, 3 legimus.[1])

Aliae autem voces tam tritae et usitatae sunt, ut putidus videatur, qui Isocratem de industria eis alibi non esse usum contendat. Quid enim causae fuisse censeas, cur vocibus eius generis ut § 32. *ἅρμα*, § 15. *γέλως*, § 31. *γελοῖος*, § 41. *γλῶττα*, § 32. *ἡνίοχος*, § 52. *μέλιττα*, § 25. *πῦρ*, § 8. *χαρακτήρ*, § 44. *ταμιεῖον*, § 29. *ὑλακτεῖν*, § 32. *εὐθύνειν* alibi non uteretur? Nihil aliud, puto, nisi quod, ut Henk. de talibus verbis recte dicit (p. 16), alibi occasio non erat oblata has notiones exprimendi. Eodem iure offendat aliquis, quod VII, 41 *στοά*, VII, 48 *ἀγορά*, *αἰδώς*, VII, 66 *νεώσοικος*, VII, 74 *δένδρον* — quinque in una oratione! —, X, 12 *ἅλς*, X, 24 *μῆλον*, XII, 145 *φυλέτης*, *δημότης*, XII, 150 *ἀκοή*, XII, 211 *εὐνή*, XV, 213 *λέων*, *ἄρκτος*, XVII, 15 *δημόκοινος*, XIX, 11 *φθόη*, quam seriem multo augere possum, semel tantum apud Isocratem exstent. Nihil igitur mirum est, quod tales notiones cotidianae nisi in or. I, in qua potissimum locum suum optime obtinent, nusquam reperiuntur. Addi possunt alia vocabula, quorum notio apud Isocr. vix iterum occurrit § 35. *ἀβουλία* (opp. *εὐβουλία*), §§ 12, 19. *ἄκουσμα*, § 29. *ἀόρατος*, § 52. *βλάστημα*, § 48. *ἐνδέχεσθαι*, § 23. *εὐορκεῖν* (opp. *ἐπιορκεῖν* v. supra), § 18. *πολυμαθής*, *φιλομαθής*.

Porro in tabula Benseleriana permulta insunt, quae quamquam ipsa *ἅπαξ εἰρημένα* sunt, tamen cum aliis, quae alibi Isocr. frequentat, artissima cognatione eademque origine ita conexa sunt, ut copia data oratorem ea repudiaturum fuisse non sit verisimile. Licet autem uno alterove loco alia vox eiusdem notionis inveniatur, tamen considerandum nobis est primum, multa horum vicariorum ipsa perrara esse ut *μέμψις* pro *ψόγος* in or. I. tantum scripto uno loco (XV, 144) occurrit,

---

[1]) Ignoscatur mihi velim, si forte in *ἅπαξ εἰρημένοις* congerendis semel vel bis erraverim; nam quamquam omnes orationes quam maxima cura perlustravi Mitchellii indici graecit. Isocr. in tali re parum certo nihil confisus, tamen fieri potuit, ut iteratio me praeteriret, id quod ipsius Benseleri industriae in collectione sua, ut demonstratum est, accidit.

neque omnino esse mirum, quod orator, si complures voces praesto erant, variatione gavisus sit, deinde talia exempla ex ceteris quoque orationibus depromi posse, tum nihil habere insoliti, si quis scriptor alio vitae spatio aliud potissimum verbum adamet praeferatque. Velut *συνορᾶν*, quod multo rarius est, quam *καθορᾶν*, extrema vitae aetate imprimis Isocrati videtur arrisisse, nam in nulla alia oratione saepius adhibetur, quam in or. XII (ut §§ 144, 172, 219, 236), item *ληρεῖν*, quod nusquam toties, quoties in or. XII et or. XV exstat: XII, 11, 19, 33, 112, 150, 206; XV, 83, 90, 112, 199. Quid? aliam praeterea causam fortasse exstitisse, cur singulare maxime vocabulum, non decantatum orator scribere mallet num fidem excedit? Sed hoc nunc missum facio, quoniam de ea re postea uberius disseram. Itaque minime offendere puto adiectiva semel lecta, quorum substantivis Isocr. non abstinuit, ut § 20. *ἀπεχθής* (*ἀπέχθεια* VIII, 38, XI, 3, ep. VII, 6); § 15. *αὐθάδης* (*αὐθάδεια* VI, 98); §§ 24, 34. *βραδέως* (*βραδύτης* IV, 141); § 31. *φιλόνικος* (*φιλονικία* III, 18, IV, 19, V, 4, VII, 53 cf. *φιλονικεῖν* VI, 92, X, 48, 51). Item talia adiectiva *ἅπαξ εἰρημένα* in or. XII sunt § 121. *ἄγριος* (*ἀγριότης* XII, 163, XV, 214), § 8. *μικρολόγος* (*μικρολογία* XIII, 8, XV, 2, 262). Eadem venia parata est substantivis, quorum adiectiva alibi reperiuntur, ut § 33. *ἀπαιδευσία* (*ἀπαιδεύτως* XII, 218), § 15. *θράσος* (*θρασύς* IX, 39, XII, 215 [adv.], XII, 133, XV, 51), § 44. *συμβουλία* (*σύμβουλος* II, 43, VIII, 13, 52). Ex aliis orationibus similia petam, ut semel dicta sunt XII, 1 *κομψότης* (*κομψῶς* XV, 195 [compar.], ep. IX, 5), XV, 189 *εὐαρμοστία* (*εὐάρμοστος* XI, 12, XII, 32, ep. IV, 3), XV, 288 *ἀσωτία* (*ἀσώτως* XV, 5).

Praeterea indice Benseleri non exiguus numerus talium substantivorum continetur, qualium verba partim tritissima, partim rara sunt: § 27. *ἀπόλαυσις* (*ἀπολαύειν* creberrime), § 7. *ὄκνος* (*ὀκνεῖν* ut XII, 15), § 5. *παραίνεσις* (*παραινεῖν* sexcenties) §§ 7, 33, 43 *ψόγος* (*ψέγειν* saepe, ut XII, 118, 223, XV, 259, ep. II, 15, ep. IX, 15), § 6. *ὑπηρέτης* (*ὑπηρετεῖν* III, 34, XV, 180); § 11. *γραφεύς* = pictor locis duobus (IX, 75, XV, 2), quibus *γράφειν* pingendi notionem habet, § 20. *ἔντευξις* locis VII, 83, X, 69, XIII, 15, XVIII, 36 (*ἐντυγχάνειν*) cf. I, 20. confirmantur. Substantivis *θησαυρός* § 29. et *τέρψις* §§ 16, 46 (§ 21. *τερπνός*) respondent verba semel dicta *θησαυρίζεσθαι* XV, 229 et *τέρπειν* XII, 246.[1]) Ac ne hic quidem aliarum orationum exempla desunt. Velut *ἅπαξ εἰρημένα* sunt XII, 13 *μεσεγγύημα* (Urb. *μεσεγγύωμα*), XII, 78 *στρατήγημα*, XII, 168 *εὐεργέτημα*, XV, 144 *μέμψις*, IX, 53 *ἄφιξις*: verba eiusdem stirpis leguntur *μεσεγγυοῦσθαι* XIII, 5, *στρατηγεῖν* IV, 80, 154, *εὐεργετεῖν* crebro,

---

[1]) Hic locus Urbinatis fide defenditur.

μέμφεσθαι III, 11, IV, 122, XV, 88, 251, *ἀφικνεῖσθαι* XVI, 16, XIX, 31.[1])

Vice versa substantiva aut adiectiva reperiuntur, quorum verba cognata primae orationi propria sunt: § 16. *θηρεύειν* (*θήρα* XII, 211), § 2. *κληρονομεῖν* (*κληρονόμος* V, 136, XIX, 2, 9, 32, 42, *κληρονομία* XIX, 43), § 29. *σιτίζειν* (*σῖτος* IV, 31, XVI, 13, XVII, 4, 57), § 32. *σφάλλομαι* (*σφαλερός* VII, 1). Cf. *ἅπαξ εἰρημένα* XI, 39 *τυφλοῦν*, IX, 15 *παρεδρεύειν*, X, 8 *πτωχεύειν*, XIX, 30 *ἀδελφίζειν: τύφλωσις* XII, 122, *πάρεδρος* X, 62, *πτωχός* XIV, 46, *ἀδελφός* IV, 71, X, 23.

At omnibus his detractis tamen tanta restat multitudo eorum, quibus tali modi subveniri non possit, ut authentiae adversariis profecto satis firma arma remansisse videantur. Primum enim, ut horum quoque vocabulorum ordines quosdam instituam, in or. I. et verba et adiectiva exstant, quae alibi apud Isocr. seu ab omni seu a tali praepositionum (vel adverbiorum) societate, etiamsi idem fere exprimant, abhorrent. Nam legitur § 11. *ἀπεικάζειν: εἰκάζειν* X, 59; § 32. *ἐξανιστάναι: ἀνιστάναι* VI, 2, VIII, 42; § 8. *ἐπιβάλλειν: προσεπιβάλλειν* VI, 39 (semel), §§ 21, 35 *ἐπιβλέπειν: βλέπειν* ut VIII, 142, XII, 102, 234 (*πρός*), 188 (*εἰς*), vel *ἀποβλέπειν* ut VIII, 18, X, 42, XI, 3, XV, 130 (*πρός*), IX, 24, XX, 19 (*εἰς*). cf. I, 17; § 11. *καταριθμεῖν: ἐξαριθμεῖν* VIII, 87, XII, 142, XV, 46, 114, ep. IX, 5, rarius *ἀπαριθμεῖν* VI, 68, XII, 73, simplex *ἀριθμεῖν* XII, 131; § 9. *παρακαίρως: ἀκαίρως* XV, 10; § 33. *προσζημιοῦν: ζημιοῦν* saepius; pro *προσμένειν* § 25: *μένειν*; § 42. *κατάδηλος: πρόδηλος* XIV, 36, X, 20, 40. Item saepe *εὔνους*, nusquam *σύννους* (§ 15), *ἄλυπος* XII, 5, 6, nusquam contrarium *περίλυπος* (§ 42) adhibetur. Quid est, quod huius argumenti gravitati opponamus? Confugiendum nobis est ad ceteras orationes Isocr., ut videamus, num forte ex eis similia excerpere possimus. Multa afferre possum, sed haec sufficiant: semel occurrunt VII, 48 *διημερεύειν*, VIII, 10 *καταχαρίζεσθαι*, XII, 23 *παραληρεῖν*, XII, 159 *διακολακεύεσθαι*, XV, 108 *ἐπίκαιρος*, cum alibi *ἡμερεύειν* XV, 241, 286, *χαρίζεσθαι* II, 48, VIII, 15, 121, X, 30, XII, 93, XV, 153, saepius, cf. I, 30, 31, *ληρεῖν* XII, 11, 19, 33, 112, 206 (v. supra), *κολακεύειν* VIII, 4, ep. I, 4, ep. II, 22, cf. I, 30, *εὔκαιρος* V, 143, VII, 30, XI, 12, XII, 28 frequententur.

Deinde iam H. Stephano voces cum *φιλο-* compositae ac nescio an etiam in *-ικός* et *-της* exeuntes suspicionem moverunt.[2]) Putat enim tale sermonis ornamentum multo posteriori aetati, non Isocrateae, vindicandum esse. Quid vero? Nonne suspicari licet, Isocratem ea de causa illas voces adhibere voluisse, quod eis »multum ornamenti afferri« sermoni vel ipse intellegebat? Concedo Stephano studium, ne dicam

[1]) Pleraque horum verborum aliis quoque locis occurrunt.
[2]) Diatr. I. p. 5.

cupiditatem, formas eiusmodi fingendi posterioribus demum temporibus magis magisque convaluisse; sed harum vocum in or. I. num est copia tanta aut compositio munditiae Isocrateae tam absona, ut hinc cum Steph. indicium posterioris originis petatur? Multae tales voces semel vel rarissime dictae in ceteris quoque orationibus reperiuntur. ut II, 15 *φιλόπολις*, IV, 41 *φιλόξενος*, VI, 90 *φιλοψυχεῖν*, VIII, 96 *φιλαργυρία*, XI, 22 *ἰατρικός*, XII, 241 *ὑπεροπτικός* (cf. I, 30), XII, 242 *κτητικός*, XV, 45 *ἀντιλογικός*, XV, 244 *ἐπιθυμητικῶς*, XII, 234 *ἐπαινέτης*, XII, 241 *πλεονέκτης*, XV, 90 *ἀνδραποδιστής*, XV, 205 *ἐργάτης*, XV, 209 *φιλοπονία*, XVI, 7 *μηνυτής*, XVI, 9 *στηλίτης*.

Tum vocabula comparent in catalogo Benseleri *ἅπαξ εἰρημένα*, quorum notio ab Isocrate alio modo exprimi solet, ut § 21. *ἀκούσιος*, § 31. *θυμοῦσθαι*, § 14. *λήγειν*, § 31. *ὑπουργεῖν*, § 25. *αὐτεπάγγελτος*, §§ 5, 46. *οἰκονομεῖν*, quorum loco *ἄκων*, *ὀργίζεσθαι*, *παύεσθαι*, *ὑπηρετεῖν* vel *βοηθεῖν*, *ἑκών*, *διοικεῖν*, alia legimus. Sed innumerabilia huius usus testimonia in ceteris orationibus exstant, ut complures paginas complere possim. Satis mihi est pauca afferre.

XII, 102: semipoeticum *θαμά*. alias *πολλάκις*.

IV, 100 *προφέρειν : ἐγκαλεῖν* VI, 30, VIII, 79, XII, 101, XV, 27, 35, XVII, 56, *ὀνειδίζειν* XI, 38, XII, 70, 89, XIV, 30, XV, 248, XVI, 3, XVIII, 57 (cf. I, 29), *ἐπιτιμᾶν* VI, 57, VII, 36, VIII, 4, X, 7, XII, 53, XV, 19, 62, XIX, 44 (cf. I, 17).

VII, 45 *κυνηγέσια* : semel *θήρα* XII, 211.

VII, 63 *ἀνωφελής* / VIII, 31 *ἀλυσιτελής* } : *ἀσύμφορος* XII, 156, XIV, 33, XV, 115, 117.

VIII, 22 *γείτων : ὅμορος* III, 34, IV, 70, 108, 131, 140, VI, 61, XII, 227, XIV, 18.

VIII, 85 *ἀφροσύνη : ἄνοια* persaepe, ut VIII, 85, 121, 125, X, 45, XII, 23, 108, XIV, 13, 43.

IX, 23 *κρατιστεύειν :* alias *πρωτεύειν*, ut IX, 17, 52, XII, 71, cp. IX, 11, *διαφέρειν* sexcenties aliaque verba.

X, 59 *νυμφεύειν : μνηστεύειν* X, 20, 39.

XI, 22 *βιοτεύειν :* alibi *ζῆν*, *βιοῦν* saepe.

XI, 39 *ἀτιμώρητος : ἀζήμιος* XVIII, 26, XX, 4, vel *ἀκόλαστος*.

XII, 168 *εὐεργέτημα :* alibi saepe *εὐεργεσία*.

XII, 181 *μιαιφονεῖν :* pro usitato *ἀποκτείνειν*.

XII, 194 *ζωγρηθείς : δοριάλωτος* IV, 177, XIV, 18, XV, 125.

XIV, 30 *ἑκούσιος* (cf. I, 21) *: ἑκών* III, 47, VIII, 76, 113, 135, XIV, 12, XVI, 27, 44, cp. VI, 9.

XV, 90 *κακούργημα :* alias *κακουργία*, ut VIII, 44, XII, 198, vel *κακία*, ut VIII, 120, XI, 41, XII, 246, XV, 229. vel *πονηρία*, ut VIII, 79, 124, XII, 133, 142, 240, XIV, 28.

XV, 149 *δυσκολαίνειν : δυσχεραίνειν* persaepe, ut IV, 12, V, 24, XII, 201, XIV, 46, ep. IV, 5 (cf. I, 26).
XVII, 15 *στρεβλοῦν : βασανίζειν* XVII, 13, 14, 15, 16, 17, 21. ep. VI, 9 *ὀρίγνασθαι* (sic Urb. et Ambr.) : *ὀρέγεσθαι* persaepe.

Quodsi reputabimus, variare unumquemque scriptorem synonyma itaque singulorum usum artioribus finibus circumscriptum esse; si cogitabimus, scriptores, id quod iam indicavi, modo hoc, modo illo delectari fierique posse, ut in uno potissimum opere amplexentur, quae in aliis vitant, et aliis externisque causis, de quibus unam maxime postea urguebo, ad unam alteramve vocem scribendam scientes vel inscientes adlici; denique materiam tractatam, quae in aliis operibus alia est, esse respiciendam, in paucis illis *ἅπαξ εἰρημένοις* vix offendemus.

Omnia haec in illas quoque voces semel dictas cadunt, quae magis minusve poesin resipiunt, ut § 19. *πέλαγος, διαπερᾶν*, § 6. *μαραίνειν*, aliae. Nihil enim obstare mihi videtur, ut vel Jahrius concedit (p. 9 sq.), locus ille Euagorae (§ 9): *τοῖς μὲν γὰρ ποιηταῖς πολλοὶ δέδονται κόσμοι· — περὶ τούτων δηλῶσαι μὴ μόνον τοῖς τεταγμένοις ὀνόμασιν, ἀλλὰ τὰ μὲν ξένοις, τὰ δὲ καινοῖς, τὰ δὲ μεταφοραῖς, καὶ μηδὲν παραλιπεῖν, ἀλλὰ πᾶσι τοῖς εἴδεσι διαποικῖλαι τὴν ποίησιν· τοῖς δὲ περὶ τοὺς λόγους οὐδὲν ἔξεστι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἀποτόμως καὶ τῶν ὀνομάτων τοῖς πολιτικοῖς μόνον καὶ τῶν ἐνθυμημάτων τοῖς περὶ αὐτὰς τὰς πράξεις ἀναγκαῖόν ἐστι χρῆσθαι.* Nam oratorem in sermone populari et in triviis decantato versari, ad orationis elationem atque altitudinem nunquam ascendere debere, Isocratem dicere noluisse, sed abundantiam solam poetici coloris castigare, vel inde sequitur, quod passim in orationibus eius e sermone communi et pedestri, ut ita dicam, varia effulgent, quae ipsa poetica sunt vel ad poesin prope accedunt, certe autem magniloquentiae cuiusdam indolem prae se ferunt.

Cuius generis sunt *ὀδυρμοί* VIII, 127, XVIII, 37, *μηλόβοτος* XIV, 31, *μεγαλαυχεῖν* XI, 4; eius generis sunt circuitiones et coniunctiones ut *ἴχνος τῆς ἐκείνου πραότητος* X, 37, *τῇ τῶν πολιτῶν εὐνοίᾳ δορυφορούμενος* ibid., *ἔρως τῶν πόνων* X, 52, *ἔρως τῶν καλῶν* X, 55, *κατεχομένους ὑπὸ τῆς πεπρωμένης* X, 61 (pro *ἀποθανόντας*); eiusmodi est, quod Nilum *ἀθάνατον τεῖχος* XI, 12, Jovem *ταμίαν τῶν ὄμβρων καὶ τῶν αὐχμῶν* XI, 13 orator appellat.

Videmus igitur, ne Isocratem quidem talia repudiasse ac non ita raro sermonis communis fines excessisse. Nec mirum id est; immo multo magis admiraremur, si orator tam ieiunus et putidus fuisset, ut a poetico quodam colore, si argumento aptus videbatur, prorsus abstineret. Talem colorem orationis Demoniceae argumento respondere

iniuria Lehm. de L. negat (p. 43); nam permulta enuntiata nonne e poetarum operibus excerpta et in hanc paraenesin translata videntur? Sed de hac re postea dicam.

In plerisque igitur verbis examinatis nullam causam intelleximus, cur Isocratem alibi ea vitare voluisse suspicemur; sed maxime in casum quendam, ut exemplis e ceteris orationibus promptis probabile fit, culpa est derivanda. Quamquam cur unum alterumve usurpatum sit, non usitatum, causa magis explanari potest — ut *θυμουμένοις* scriptum esse in aperto est, quod paulo antea *ὀργιζόμενοι* exstat (§ 31),[1]) — tamen, cum campus, in quo exsultare possint coniecturae, latior sit, illa disseruisse satis habeo; in sequentibus autem ad nonnulla revertar, si de dictionis discrepantia a Benselero in usum suum conversa sermo erit. Nec eam quaestionem, cur in hac potissimum oratione tot *ἅπαξ εἰρημένα* exstent, cum arte coniuncta sit cum eis, quae ibi proferentur, hic non praetermittam; sed statim ad alteram criminis secundi Benseleriani partem transibo, quae versatur in formarum, constructionum, significationum discrepantia.

B.

Firmissima arma Benseler multis, quae inter Demoniceam et reliquas orationes intercedant sermonis differentiis conquisitis videtur paravisse. In plerisque enim paragraphis aliquid animadvertit, quo se novum testimonium originis non Isocrateae comparasse arbitraretur. Nec sane parvi aestimanda sunt talia argumenta, cum unusquisque fere scriptor suum sibi fingat stilum, de quo vix ipse tantum deterere potest, ut vestigia eius quamvis pro materia tractata magis minusve perspicua sint, non agnoscantur. Est igitur, cur huic expositioni explorandae imprimis animum adiciendum mihi esse censeam.

Ac primum nonnullorum verborum discrepantiam iniuria v. d perstrinxisse mihi videtur.

---

[1]) Tales commutationes alibi quoque inveniuntur, ut I, 13 *τὸ δαιμόνιον* dictum est, quod *τοῖς θεοῖς*, § 26. *νικᾶσθαι*, quod *ἡττᾶσθαι*, § 42. *τοῖς συμβαίνουσι,* quod *τοῖς γιγνομένοις* subsequitur. VI, 97 *μηδὲ τὰς τῶν ἐλευθέρων ἰσηγορίας ἀνέχεσθαι, νῦν δὲ καὶ τὴν τῶν δούλων παρρησίαν ὑπομένοντας φαίνεσθαι.* X, 59. *εἰκασθείς* dictum est (hoc verbum hic tantum hanc vim habet), quod *ὁμοιωθείς,* XI, 30 *ἐπέπληττεν,* quod *ἐπιτιμᾶν,* VIII, 85 *ἀφροσύνη* (semel), quod *ἄνοια,* X, 16 *ἰσχύς,* quod *ῥώμη* subsequitur, XII, 181 *μιαιφονεῖν* (semel) quod *ἀποκτείνειν* antecedit. Eandem porro mutationem inter *ἐπίστασθαι* et *δύνασθαι,* quam I, 28, invenimus III, 21 *τοὺς — εἰπεῖν δυναμένους, — τοὺς χρῆσθαι τοῖς πράγμασιν ἐπισταμένους,* IV, 11 *τὸν δ' ἀκριβῶς ἐπιστάμενον λέγειν ἁπλῶς οὐκ ἂν δυνάμενον εἰπεῖν.*

§ 3. verbo *ἐπανορθοῦν* (*ἐγὼ δὲ τοὺς φιλοσοφοῦντας ἐπανορθῶ*) plane aliam vim atque alibi subesse contendit. Nunquam enim Isocratem, si de personis agatur, notione »erigendi«, sed semper »denuo erigendi«, illa tum tantum, si de rebus sermo sit, interdum uti. Multis locis examinatis, quibus *ἐπανορθοῦν* exstat, hanc sententiam impugnari non posse intellexi, ita autem mutandam esse, ut omnino non simplicem vim »erigendi« in hoc verbo inesse dicam; nam ubique latet illud »denuo«, quamvis obscurum interdum et quasi brachylogia explicandum: denuo aliquid tentare, ut erigatur vel emendetur cf. VII, 15 *οὐδὲ σκοποῦμεν, ὅπως ἐπανορθώσομεν αὐτήν* (*τὴν πολιτείαν*). VIII, 133. *Ἔστι δ᾽ ἐξ ὧν ἂν ἐπανορθώσαιμεν τὰ τῆς πόλεως καὶ βελτίω ποιήσαιμεν.* IX, 7 *οὐ διὰ τοὺς ἐμμένοντας τοῖς καθεστῶσιν, ἀλλὰ διὰ τοὺς ἐπανορθοῦντας.* XII, 200 *Ἐπηνώρθουν μὲν γὰρ τὸν λόγον.* Paucis autem locis *ἐπανορθοῦν* dicitur de personis emendandis, ut VI, 72, XVII, 15, ita tamen, ut semper iteratio pateat. Quomodo hanc difficultatem expediemus? Non recte Henk. (p. 19) VIII, 133 confert; respexisse enim non videtur, Isocratem ibi de re loqui. Mihi autem a notione, quam Bens., si verbo de personis scriptor utatur, in eo semper inesse dicit, ne hic quidem locus ita longe videtur abesse, si proficiscimur ab hac interpretatione: ego philosophantes erigo sc. si de recta via vel iam delapsi vel delapsuri sunt. Nihil igitur video in hoc verbi usu, nisi magnam quandam sui aestimationem, quod orator sine auxilio suo philosophiae studiosos aberraturos esse confidit.

Porro cur v. d. *ἀκριβές* **§ 11.** nusquam sonare »accuratum«, »uberius« edicat, non liquet. Num aliam vim subiectam esse putat adiectivo IV, 63 *τὸν ἀκριβέστατον τῶν λόγων*, VII, 24 *ἀκριβέστερον εἰδέναι*, XII, 146 *τοὺς μὲν ἀκριβεῖς περὶ ταύτας γιγνομένους*, sexcenties?

§ 5. Benselerum adverbii *γνησίως* vis »sincere« vel »vere« offendit, cum alibi pro »legitime« usurpatum sit. Sed cum semel in reliquis orationibus adverbium occurrit, tum compluries adiectivum illam ipsam notionem ab illo castigatam prae se fert, ut III, 43 *γνησιώταται* (sc. *ἀρεταί*), XVI, 28 *τὴν μὲν οὖν φιλίαν οὕτω παλαιὰν καὶ γνησίαν.*

§ 38. *ἀνέχου δ(ὲ)᾽[τὸ] ἴσον ἔχων.* Bens.: *ἀνέχεσθαι* valere apud Isocr. »aushalten« (VIII, 65), non »an sich halten«. Sed confer IV, 118 *τὴν αὑτῶν χώραν ἀνέχεσθαι πορθουμένην* (XIV, 58 *πεπορθημένην*): num multum illos locos inter se discrepare censes? Nec maioris ponderis ipsi Jahrio videtur esse (p. 13), quod Bens. de *κἀκεῖ* **§ 47.** disputat. Nam hunc usum ab Isocrate non prorsus abhorrere ex VI, 92 elucet, ubi *ἐκεῖ* ad *ἐν τῷ πολέμῳ* pertinet.

Item inepte Bens. in formas complures invectus est.

§ 4. *τῶν τρόπων.* Iniuria v. d. contendit, Isocratem seu de natura et moribus unius seu complurium loquatur, plurali *οἱ τρόποι*

abstinere; contrarium enim discimus ex IX, 24 *ὁπότε δ' εἰς τοὺς τρόπους . . .* (sermo est de Euagora). Veniam igitur parabimus plurali bis iterato **§ 8.** *ἡ τῶν τρόπων ἀρετή* et **§ 13.** *τῆς τῶν τρόπων καλοκἀγαθίας.*

Quod non medium *παρέχεσθαι* **§ 22.** sed activum solum *παρέχειν* apud Isocr. inveniri dicit, mirum quantum a vero aberravit. Neque enim semel vel bis, sed persaepe illam formam legi iam Henk. novem locis confirmavit (p. 21), quibus addo XV, 93, 118, XVII, 42. Jahrius autem, quamquam hunc Benseleri errorem agnoscere cogitur, tamen cum Henk. adeo non conspirat, ut eum valde reprehendat, quod de notionibus securus illis locis hunc stabilire velit. Tritissimam illam rationem inter activum et medium intercedentem accurate exponit, locos ab Henk. congestos ponderat, activi exemplis coacervatis utriusque generis discrepantiam illustrat magna sane subtilitate, nimis futtili illa quidem. Quid enim ad hoc? Num quid interesse inter notionem verbi *παρέχεσθαι* I, 22 et XII, 50 putet aliquis? An boni illi viri *τρόπον ὅρκου πιστότερον* minus »in commodum suum« praebere debent, quam Athenienses XII, 50 naves suas praebuerunt? Collabitur ergo illa Jahrii disceptatio.

Numeros singulares *τῷ καλῷ* **§ 16.** pro *τοῖς καλοῖς* et *ἐν ἐλαχίστῳ* (cf. postea) **§ 40.** pro *ἐν ἐλαχίστοις* ne ab Isocrate quidem alienos esse alii loci ut XV, 230 *τὸ αἴτιον*, 250 *τοῦ φαυλοτέρου* et *τοῦ σπουδαιοτέρου* (neutr.) evincunt.[1])

Dubitationi autem magis obnoxium est *τοὺς νέους* **§ 6.** Nam Isocratem adolescentes *τοὺς νεωτέρους*, non *τοὺς νέους* appellare solere certum est, cuius consuetudinis causas Jahr. rectissime eruisse mihi videtur (p. 12). Etenim cum senes *οἱ πρεσβύτεροι* nominarentur, maior concinnitas comparativum *οἱ νεώτεροι*, praesertim si senes et adolescentes inter se oppositi erant, flagitabat et haec forma oratori ita arrisit, ut ea plerumque usus sit.[2]) Sed cum compar. *οἱ πρεσβύτεροι* oratori in sucum et sanguinem, ut ita dicam, sic versus esset, ut si positivo ei utendum erat, non *πρέσβυς*, sed *παλαιός* scriberet (cf. IV, 185), positivum *νέος* non plane repudiabat. cf. XVI, 30 *νέος ὤν*, quamquam subsequitur *πρεσβύτερος ἦν*. ep. III, 6 *νέος ὤν*, cum alibi *νεώτερος ὤν* dicatur, ut VI, 1, XI, 50, XII, 1, 55, ep. V, 1. Quare non intellego, cur pluralem *οἱ νέοι* ab Isocrate abiudicemus.

Praeterea Bens. in compluribus constructionibus et coniunctionibus vehementer offendit, iniuria ille quidem, ut iam demonstrabo.

§ 4. *τὰ τῶν τρόπων ἤθη σπουδαῖοι.* Quam perperam v. d. de plurali *τῶν τρόπων* iudicaverit, iam supra ostendi; quod autem Isocratem cum adiectivo *σπουδαῖος* vel omnino cum adiectivo talem accu-

---

[1]) De his neutris postea sermo redintegrabitur.

[2]) Nec in or. I. auctorem comparativum non praetulisse e §§ 4, 5, 15, 19 elucet.

sativum copulare non solere confidenter adfirmat, in maiorem paene errorem incidit. Nam huius usus exempla tot afferre licet (cf. ea, quae illo loco, quo de hiatu τῷ μὲν σώματι εἶναι agitur, laudavi), ut quomodo viri docti diligentiam effugere potuerint, aegre intellegas.

Magis ei assentiamur **§ 9.** constructionem τῶν ὑπ᾽ ἐμοῦ σοι λεγομένων et **§ 22.** μηδενὶ λέγε a solita dictione Isocr. distare: coniungi enim λέγειν cum πρός, κατά, ἐν, ἐναντία, nusquam autem cum simplici dativo. Insolentior sane haec copulatio est, sed eandem bis occurrere XVII, 23, 24. Henk. indagavit (p. 20). Male accidit, quod ipsius huius orationis XVII authentia a nonnullis in dubitationem vocata est; sed recte Henk. monet, eam constructionem verbi λέγειν apud alios scriptores tam tritam esse, ut vix credibile sit Isocratem de industria plane ea abstinuisse.

Quod Bens. **§§ 15, 29.** στέργειν τι vel τινά addubitat, cum στέργειν τινί vel ἐπί τινι, semel (V, 45) στέργειν τοῦτο dictum sit, eadem ratione, qua antea, peccavit. Duos enim locos Henk. affert (p. 21), quibus accus. ab hoc verbo pendet: V, 127 et X, 56; addo XII, 125.[1]) Bene Jabrius comprobavit (p. 23) στέργειν c. dat. vel ἐπί τινι significare »contentum esse«, in στέργειν c. acc. notionem »diligendi« inesse; itaque in § 15. (μήτε γέλωτα προπετῆ στέργε) »nullam, in § 29. (στέργε μὲν τὰ παρόντα) maximam offensionem« habet. Sed cum notiones »contentum esse« et »diligendi« ita inter se innexae videantur, ut alteram sensu non perturbato cum altera frequenter mutare possis, accus. § 29. per se ferri posset, nisi aliae orationes praeberent στέργειν τοῖς παροῦσιν vel ἐπὶ τοῖς παροῦσιν (VIII, 7, ep. II, 23). Itaque, num forte alia causa gravior sit, reputandum est, qua scriptorem, ut a consuetudine decederet, inductum esse probabile sit. Talis autem, si verba sequentia respicimus, ita ante pedes est, ut difficile sit, eam non videre. Quid enim clarius, quam στέργε μὲν τὰ παρόντα respondere verbis ζήτει δὲ τὰ βέλτιστα, et maioris aequabilitatis gratia accusativum, non dativum positum esse?[2]) Sed hanc causam, cum de ea postea fusius dicturus sim, nunc mitto; satis hic habeo eam tetigisse.

§ 33. οὓς ἂν βούλῃ ποιήσασθαι φίλους, ἀγαθόν τι λέγε περὶ αὐτῶν. Tale quid apud Isocratem non inveniri, sed apud alios scriptores saepius occurrere Schneider recte dicit.[3])

---

[1]) VII, 18 στέργειν cum ἐπαινεῖν coniunctum accusativum regit.

[2]) Fortasse autem hoc enuntiatum ut glossema resecandum est, id quod Keilius (Herm. XXIII, p. 378) probat.

[3]) Exempla huius usus v. ap. Schneid. in ann. ad h. l., Foertsch. Observ. in Lysiam p. 74 sq., Maetzner. ad Antiph. p. 254, ad Lycurg. p. 307, Krüger. ad Xen. Anab. I, 9, 29.

§ 34. Schneider scripturam *περὶ ἀλλοτρίου τοῦ πράγματος* mutavit in *περὶ ἀλλ. του πράγματος* Benselero consentiente.[1]) Dubitationem enim eius primum movet, quod singularis definitus *τοῦ πράγματος* ad plur. *περὶ ὧν* pertineat, deinde quod verba *ὡς περὶ ἀλλοτρίου τοῦ πράγματος* insolentius copulata sint pro *περὶ τοῦ πράγματος ὡς περὶ ἀλλοτρίου*. Sed illam mutationem in ulcere, si modo ulcus est, tamquam unguem existere arbitror, cum pronominis indefin. genetivus et dativus *τού, τῴ*, ut Schneider ipse monet, ab Isocrate cum substantivo non conectantur. Num autem vere lectio tradita, quam Blassius servat, offensioni est? Nam insoliti quidquam habere, quod singul. *πρᾶγμα* ad plur. *ὧν* referendus sit, cum neutrum pluralis pronominum saepe universe pro una re substituatur, nego. Ac ne collocatio quidem verborum ab Isocrate abhorret cf. VIII, 12 *ὥσπερ ἐν ἀλλοτρίᾳ τῇ πόλει = ἐν τῇ πόλει ὥσπερ ἐν ἀλλοτρίᾳ*.[2])

Quae Bens. **§§ 37, 41, 46.** reprehendit, eadem sine ullo negotio excusantur.

§ 37. Pro *ἐκ τῶν κοινῶν ἐπιμελειῶν* Isocratem scripturum fuisse *ἐκ τῆς τῶν κοινῶν ἐπιμελείας* cf. VII, 25, VIII, 127. Sic Benseler. Sed cum Isocrates pluralem substantivorum abstract. magnopere amet, nil miri habet, quod hic quoque eo usus est, sed pro *ἐκ τῶν τῶν κοινῶν ἐπιμ.*, ut pravum sonitum vitaret, adiectivi attractione quadam scripserit *ἐκ τῶν κ. ἐπιμελειῶν*.

§ 41. *ἐπισκόπει τῇ γνώμῃ: τῇ γνώμῃ* iners esse et insolens additamentum B. contendit; cf. autem VIII, 74 *τῇ διανοίᾳ θεωρήσητε*, VIII, 141 *τῇ διανοίᾳ καθορῶν*; simile quid est XV, 52 *πλανᾶσθαι τῇ διανοίᾳ* (cf. ep. VI, 10 *πλανᾶσθαι ταῖς διανοίαις*), ep. VI, 10 *στοχάζεσθαι τῇ ψυχῇ*.

§ 46. In coniunctione positivi *εἰλικρινεῖς* cum comparativo *βεβαιοτέρας* iudicanda Schneideri partes defendo. Nam rectam eam esse loci nexus ipse docet; valde autem miror Benseleri dictum memorabile: Schneiderum vix offensurum fuisse, si auctor scripsisset *εἰλικρινεῖς καὶ βεβαίας*. Nimirum ita scribere ei licuit, si modo tenuissimum sensus discrimen repudiare voluit. Quod autem tale quid alibi incassum requiritur, e natura huius copulationis ipsius patet, quippe quae etiam apud alios scriptores raro legatur. Ceterum Bens. indici suo multa inseruit, quae rariora sunt, quam ut certum indicium admittant. Etenim si eiusdem verbi, quo nisi bis vel ter vel paulo saepius in omnibus orationibus Isocrates non utitur, variae notiones

---

[1]) Probat hanc coniecturam etiam Rauchensteinius in Ann. Fleckeisen. LXXXI (1860) p. 738.

[2]) cf. Schneid. ann. ad I³, 25, Held. ad Plut. Aemil. Paul. p. 124, Schoemann. ad Plut. Agin 6, 1, Cobet Var. lect.² p. 164, Strang. in Jahn. Ann. Suppl. III (1834) p. 576.

vel formae vel compositiones comparent, quas earum eum adamasse dicemus? An singularem vel rariorem ut adulterinam expungemus? Nempe exprobrare oratori non licet, quod si complures in promptu erant, non una acquievit. Quid enim? Quot aut quales causae concurrerint, num scimus, cur singulis locis insolentius aliquid, non sermone vulgari tritum aut certe a se alibi praelatum scribere mallet? Caveant adversarii, ne nimio studio peregrina quaedam colligendi perducti ad postulationes ineptas aberrent, quae si expletae essent, meliore iure ipsi condemnarent. Ac ne credideris talia in prima tantum oratione inveniri; non est difficile ceteras perscrutanti similia deprehendere.[1])

Iam nonnullas significationes, quae Benselero suspicionem moverunt, perlustrabo ita, ut primo loco illius sententiam proferam.

§ 1. Nusquam translatam verbi *ἐξαλείφειν* notionem exstare, sed semper propriam »scriptum exstinguendi, delendi« (XII, 232, XVIII, 16, 26, XXI, 2). Sed cum hoc verbum raro apud Isocratem invenitur, tum plane metaphorice usurpatur V, 71 *τιμὰς ἀνεξαλείπτους*.

§ 12. *πολλῶν καὶ καλῶν ἀκουσμάτων πεπληρωμένον. πληροῦν* alibi de navibus complendis dici. Translatam autem vim ab oratore alienam non esse usu adiectivi *πλήρης* ostenditur ep. I, 5 *πλήρης ὢν τῶν τοιούτων.*

§ 15. *αἰσχύνην* apud Isocratem non esse pudorem, sed stuprum aut dedecus. Sed et *αἰδώς* item vox singularis est (VII, 48) et cum notio pudoris frequenter apud alios scriptores compareat in illa voce, credi vix potest, futurum fuisse, ut Isocrates occasione oblata ea abstineret.

§ 25. *ῥητόν* non significare id, quod dici possit, sed quod dictum sit. Sed occurrit tantum XVII, 19, XVIII, 10, 14 formula *ἐπὶ ῥητοῖς*, cf. porro XIII, 17, 20, 21 *διδακτόν* = quod doceri potest.

Quod **§ 25.** in *βασανίζειν* vis »examinandi« inest, in or. XVII autem (15, 16, 17, 49, 53) »torquendi« (semel XVII, 15 *στρεβλοῦν*), non minus leve est, quam quod **§ 37.** *παρίστασθαι* non significat »adstare«, sed »adiuvare« (cf. XII, 40 *ταῖς πόλεσι παριστάναι μὴ τὰς μικρὰς ταῖς μεγάλαις* i. e. conferre), aut **§ 44.** *προφέρειν* non ut IV, 100 »exprobrare«, sed proprie »proferre«. Quo in verbo si Benselero translata significatio offensioni esset, minus admirarer, quoniam,

---

[1]) Henkel p. 25 nonnulla eiusmodi collegit; pauca addam. *ἀπαντᾶν* semper proprio sensu „occurrere" significat, ut VI, 99, XII, 18, XVIII, 5, XIX, 31, semel (XI, 30) opponere. *εἰκάζειν* semel (X, 59) = *ὁμοιοῦν,* alibi = suspicari. III, 26, XV, 53, 158, XVII, 54 *ἀφθονία τῆς χώρας* IV, 132, *ἀφθονία (τοῦ λόγου)* XII, 91. — *μνηστεύειν* VIII, 15 = *ζητεῖν,* alias (X, 20, 39) = in matrimonium ducere.

ut supra ostendi, uno illo loco pro *ἐγκαλεῖν, ὀνειδίζειν ἐπιτιμᾶν*, aliis hoc verbum substitutum est.

Quam minuta et vix digna, quae in disceptationem vocentur, saepe ea sint, in quibus Benseleri severitas, num ab Isocrate profecta esse possint, haesitat, iam perstringam.

Offendit, quod dicatur **§ 12.** *τὴν γνώμην διατεθῆναι* (alibi *τὴν γνώμην διακεῖσθαι*: quae coniunctio vix plus semel vel bis legitur; *διατεθῆναι* autem cum adverbio persaepe occurrit, ut VIII, 79, 97, X, 49, XII, 19, XV, 148, XIX, 5, 29; **§ 17.** *κρύψῃς* (sc. *τὸ ποιεῖν*!); **§ 21.** *ἐν τοῖς πονηροῖς* (opponitur praecedenti *ἐν τοῖς τερπνοῖς*); **§ 24.** imperativ. *θέλε* (cum Isocrates, nisi vocalis antecedat, *ἐθέλειν* frequentet; sed Schneideri opinionem laudo, qui *κακοφωνίας* causam probat); **§ 26.** *ἐσθῆτα*, non plur. *ἐσθῆτας* (duobus tantum locis orationis secundae pluralis reperitur, II, 1 et 32, quem locum Bens. ipse insiticium esse opinatur). Offendit, quod *κύων* (quod vocabulum ter tantum legitur) **§ 29.** femininum, XV, 211 masculinum sit (II, 15 genus non dignoscitur): proinde ac si aliud sit, quod VII, 29 *τριακοσίους βοῦς*, VI, 19 *τὰς βοῦς*, X, 24 idem genus exstat; porro quod dicatur **§ 31.** *βαρὺ γάρ* (nam adiectivum rarum esse); **§§ 32, 40.** nominativus *νοῦς* (alibi semper accusativus in *νοῦν ἔχειν*); **§ 37.** pluralis *διοικήσεις* (alibi singularis); quod **§ 39.** adiectivum *τῶν ἀδίκων* substantive adhibeatur. Offendit, quod usurpetur duplex dativus **§ 7.** *οἷς — ταῖς διανοίαις συναυξηθῇ* et **§ 8.** *οἷς — τοῖς ἔργοις ἐπέβαλεν* (Schneider in ann. ad § 7. ad frequentissima huius usus exempla apud Atticos provocat[1]) et Jahrius (p. 1.) confert XII, 126 *Περὶ οὗ πρὸ πολλοῦ ἂν ἐποιησάμην μὴ διειλέχθαι πρότερον περὶ τῆς ἀρετῆς καὶ τῶν πεπραγμένων αὐτῷ*); **§ 23.** *μηδένα θεῶν ὀμόσῃς* (alibi deesse tale additamentum)[2]); **§ 28.** *ἀπολαύειν* sine obiecto (sed ut Jahrius recte disputat (p. 13), cum a *κτᾶσθαι* nihil dependeat, membrorum concinnitas *ἀπολαύειν* absolutum flagitat); **§ 47.** *τῆς τελευτῆς αἴσθησιν λαμβάνειν* ab Isocrate abhorrere; nam primum notionem »Eindruck« non esse Isocrateam, deinde illud substantivum aut absolute positum (IX, 2: hic Bens. erravit, nam locus sequenti simillimus est: *εἴ τις*

---

[1]) Non recte tamen maiori offensioni esse posse contendit XVII, 52 *καί μοι ἀνάγνωθι αὐτοῖς*; nam *μοι* dativus qui dicitur ethicus est.

[2]) Isocratem hoc *μηδένα θεῶν* addidisse puto, ut discrimen faciat inter sollemne iusiurandum — hoc vetat — et iusiurandum communis vitae, quod potius asseveratio erat et per quaslibet res iurari solebat cf. Schol. Aristoph. Av. 520 *Ῥαδάμανθυς δοκεῖ διαδεξάμενος τὴν βασιλείαν δικαιότατος γεγενῆσθαι πάντων ἀνθρώπων. λέγεται δὲ αὐτὸν πρῶτον οὐδένα ἐᾶν ὅρκους ποιεῖσθαι κατὰ τῶν θεῶν, ἀλλ' ὀμνύναι κελεῦσαι χῆνα καὶ κύνα καὶ κριὸν καὶ τὰ ὅμοια.* Notum est Socratis *νὴ κύνα*. Hoc autem loco non cotidianae vitae iusiurandum dici ex totius loci nexu apparet.

ἐστιν αἴσθησις τοῖς τετελευτηκόσι περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων), aut cum praepositione *περὶ* (XIX, 42) coniunctum esse. Sed duobus illis locis, quibus solis haec vox occurrit, discrimen inter »Eindruck« et »Wahrnehmung« statui vix potest; praeterea autem copulatione *αἴσθησις περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων* bis tantum adhibita nihil demonstratur. **§ 52.** *ἐπικρατεῖν* cum accusativo, alias cum genetivo iungi: confer autem, quae Henk. (p. 24) recte monet. Offendit B. porro, quod dicatur **§ 5.** *τοῦ βίου ταύτην τὴν ὁδὸν ἐπορεύθησαν* (*πορεύεσθαι* de militibus dici; bis autem, XV, 224 et XIX, 30 substantivum *πορεία* de alio itinere usurpatum est); **§ 13.** *δαιμόνιον* pro *τοὺς θεούς* (cf. autem V, 149 *τὸ δαιμόνιον*, XII, 174 *ὑπὸ τοῦ δαιμονίου*).

Paulo autem gravior dubitatio nobis inici potest, quod verba quaedam, quae antea commemoratis partim frequentiora, ut **§ 2.** *ἀποστέλλειν*, **§ 30.** *καρτερεῖν*, partim vel usitatissima sunt, ut **§§ 9, 21.** *γυμνάζειν*, **§ 26.** *φθονεῖν*, **§ 47.** *μνημονεύειν*, **§ 50.** *δηλοῦν* discrepantem prae se ferunt constructionem.

Neque enim in Isocratis usu esse *ἀποστέλλειν τι*, sed *ἀποστέλλειν τινά* (personas vel legationes) Bens. adfirmat. Sed neque rei obiectum quidquam miri habet in sermone attico, et de hac oratione, cum loco oratoris ipsius ad adolescentulum instruendum destinata esset, tamquam de persona loqui licebat.

καρτερεῖν hoc uno loco accusativum apud Isocr. asciscit, nam II, 32[1]), III, 39 cum *ἐν*, IV, 38 cum *ἐπί* copulatum est. Sed et II, 32 et III, 39 obiectum desideratur, ut VI, 69, (ubi *τὸ κακοπαθεῖν* e participio *κακοπαθοῦντες* facile suppletur), et condicio tantum indicatur, in qua quid suffertur, hoc autem loco obiectum expressum est et subsequentibus verbis *τὸν δὲ τρόπον — ὑποφέρουσιν* respondet.

γυμνάζεσθαι non dativum, sed praepositiones *ἐν* (V, 152, XV, 265), *περί* (X, 5, XII, 229, XIII, 14, 17, XV, 187, 295), *ἐπί* c. gen. (II, 35)[2]) recipit: eodem autem iure offendas in *ἐπί* semel cum hoc verbo coniuncto, quo in dativo qui dicitur instrumenti.

Nec maiorem difficultatem parare puto, quod in hac oratione *φθονεῖν* cum *ἐπί* (*τινι*), alibi cum simplici dativo, et *δηλοῦν* aliis locis aliter coniungitur, hoc, quo sensus raritas respicienda est, item cum *ἐπί*.

Ut in verbi *καρτερεῖν*, ita in verbi *μνημονεύειν* constructione causa, qua orator incitatus a consuetudine ita recessit, ut alio modo[3])

---

[1]) Locus, cum Benselero suspectus sit, ab eo afferri non debebat.

[2]) Nec hic locus Benselero suspectus non est.

[3]) Non tamen poetice vel insolenter; immo *μνημονεύειν* saepius cum genetivo, quam cum accusativo coniungitur (XV, 127, 155 genetivus legitur, sed ibi attractione ortus esse potest).

verba iungeret, in aperto esse mihi videtur. Etenim si scripsisset: *ἐν πᾶσι δὲ τοῖς ἔργοις οὐχ οὕτω τὴν ἀρχὴν μνημονεύομεν, ὡς περὶ* (cf. supra) *τῆς τελευτῆς αἴσθησιν λαμβάνομεν,* Bens. Isocratis manum agnosceret; hoc autem modo futurum fuisse, ut accurata verborum concinnitas turbaretur, in qua observanda quantam diligentiam auctor collocaverit, ex tota oratione patet, non satis respexit.

Iam autem quaestio haud parvis difficultatibus obstructa videtur esse, num vere talis discrepantia excusatione externi ornamenti apud scriptorem »purissimi atticismi« satis defendi possit. Magna inter viros doctos ea de re est dissensio.

Henkelius (p. 31) figurarum quas dicunt Gorgianarum, utpote quarum Isocrates studiosissimus fuerit, frequentiam authentiae orationis indicium non exiguum praedicat; Lehm. de L. (p. 24 sqq.) ampliore expositione contrarium maxime efficere studet; alii, ut Benseler et Blassius, quamquam in his figuris non ita multum offendunt, tamen Isocratem, ut eas anxie tueretur, sermonem purum neglecturum fuisse confidenter negant. Quam quaestionem, cum maximi sit momenti, uberius iam excutiam.

Isocratem, Gorgiae, egregii illius dicendi artificis, discipulum, orationes suas libentissime et magna cum arte exornasse, ut ex eisdem dilucide apparet, ita ipse pronuntiat XII, 2. — *ἀλλὰ πάντας τούτους ἐάσας περὶ ἐκείνους ἐπραγματευόμην τοὺς περὶ τῶν συμφερόντων τῇ τε πόλει καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι συμβουλεύοντας καὶ πολλῶν μὲν ἐνθυμημάτων γέμοντας, οὐκ ὀλίγων δ᾽ ἀντιθέσεων καὶ παρισώσεων καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν καὶ τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν,* ex quibus verbis extremis causam quoque huius consuetudinis discimus. Quamvis enim magna cum acerbitate in sophistas invehatur, quod in scriptorum forma quam maxima cura perpolienda, non in materia aptissime exquirenda et elaboranda omne studium collocent, tamen illius gratiam non plane respuit, sed dummodo ne argumentum posthabeatur, ea ad animos captandos opus esse fatetur. Itaque etiamsi ornatus abundantiam atque coacervationem a Gorgia adhibitam longe remotam habet, tamen talem *παρονομασίαν,* qualis **§ 31.** *τὰς χάριτας ἀχαρίστως χαριζόμενος* legitur,[1]) alibi oratorem consulto repulisse vix puto. Iniuria enim Blassius (Att. Ber. II, p. 161) negat, quem Lehm. d. L. (p. 27) sequitur, *παρονομασίας* ut *πολλοὶ πολλῶν, πάντες πάντων,* similes in reliquis orationibus inveniri; nam legimus XV, 217 *πάντας*

---

[1]) Simplex compositio *χάριτας χαρίζεσθαι*, etiamsi nusquam occurrit, offensioni esse non potest, nam talia et apud alios scriptores atticos tritissima sunt, nec ab Isocratis usu aliena sunt, cf. XV, 6, 44 *βίον, ὃν ζῶ,* 44 *τοὺς λόγους, οὓς λέγω,* 108, 156 *εἰσφορὰς εἰσφέρειν*, XV, 145, XIX, 36 *λειτουργίας ἐλειτούργησαν.*

πάντα πράττειν, III, 15 *ἕτερος ἑτέρου*, XIX, 24 *ἕτερος ἕτερον* XI, 16 *τοῖς αὐτοῖς τὰς αὐτάς*. Concedo sane, eum ornatum rariorem esse, ita ut Blassius in errorem facile delabi potuerit, sed eo saepius aliae sermonis figurae comparent, quibus animi audientium non minus astringuntur.

Quarum luculentissima duo exempla ex oratione XVI eligam, ubi § 20. sex parvula enuntiata deinceps initium capiunt a totidem verbis eiusdem temporis, modi, personae: — *ἔπεισε μὲν Τισσαφέρνην μὴ παρέχειν χρήματα Λακεδαιμονίοις, ἔπαυσε δὲ τοὺς συμμάχους ὑμῶν ἀφισταμένους, διέδωκε δὲ παρ' αὑτοῦ μισθὸν τοῖς στρατιώταις, ἀπέδωκε δὲ τῷ δήμῳ τὴν πολιτείαν, διήλλαξε δὲ τοὺς πολίτας, ἀπέστρεψε δὲ τὰς ναῦς τὰς Φοινίσσας* — et § 41 sq. *ὁμοιοτέλευτον, πολύπτωτον, παρίσωσις* ita conexa sunt, ut totum enuntiatum speciem vel Gorgia dignissimam prae se ferat: *φαίνεται γὰρ τῷ δήμῳ βοηθῶν, τῆς αὐτῆς πολιτείας ὑμῖν ἐπιθυμῶν, ὑπὸ τῶν αὐτῶν κακῶς πάσχων, ἅμα τῇ πόλει δυστυχῶν, τοὺς αὐτοὺς ἐχθροὺς καὶ φίλους ὑμῖν νομίζων, ἐκ παντὸς τρόπου κινδυνεύων τὰ μὲν ὑφ' ὑμῶν, τὰ δὲ δι' ὑμᾶς, τὰ δ' ὑπὲρ ὑμῶν, τὰ δὲ μεθ' ὑμῶν, — ὃς τοῖς μὲν πολεμίοις δουλεύειν ἐπεθύμει, τῶν δὲ πολιτῶν ἄρχειν ἠξίου, — καὶ φεύγων μὲν ἡσυχίαν εἶχε, κατελθὼν δὲ κακῶς ἐποίει τὴν πόλιν.*

Plurimum autem Isocrates contentionibus operam navabat, quarum in omnibus orationibus tanta legitur multitudo, ut, operae pretium non esse putem exempla afferre. Cui studio *ἀντιθέσεων* quam gravissimarum permulta condonabimus, quae Bens. ab Isocratis consuetudine abiudicat. Ut **§ 13.** verba *τῆς τῶν χρημάτων εὐπορίας* verbis *τῆς τῶν τρόπων καλοκἀγαθίας* opponuntur; **§ 30.** *τοὺς πρὸς τὸ βέλτιστον ἀπεχθανομένους*, quae verba tumida et vix tolerabilia Bens. castigat, antecedentibus *πρὸς τὸ φαυλότατον χαριζομένους*, quorum sensus nihil miri habet, respondent. Quae legimus **§ 4.** *τὰ τῶν τρόπων ἤθη* et **§ 8.** *ἡ τῶν τρόπων ἀρετή* ex pleonasmi studio, quod in tota oratione in propatulo est, repetenda sunt. Contra contentionis causa **§ 26.** *νικᾶσθαι* positum esse elucet. Nam cum *ταῖς κακοποιίαις* et *ταῖς εὐεργεσίαις* auctor inter se opponere vellet, eadem autem verbi significatione opus esset, primo loco variationis causa *νικᾶσθαι* (postea *ἡττᾶσθαι*) usus est.

Contentiones igitur Isocratem magnopere adamasse liquet; sed adeo cum Henkelio (l. d.) non facio, ut, si ad reliquas orationes provocamus, usum quidem, non crebritatem *σχημάτων*, quae »*μακρῷ κατακορέστερον ἐν τῷδε* (*λόγῳ*) *σεσωρευμένα* esse iam Coraes dicit, explicari concedam; nam in nulla alia tot et tanta cura expressa reperias, quot in prima. Quid igitur? Eane de causa adversariis assentiemur, qui hac in re vestigium originis non Isocrateae deprehendisse sibi videntur eandemque sententiam argumentis speciosis

fulcire student? Etenim cum contentionum abundantiae causa ex Isocratis consuetudine peti non possit, alium fuisse auctorem ratiocinantur, discipulum vel omnino imitatorem oratoris, qui, quod usum moderatum in abusum molestum mutantes magistri ingenium aequiperare se posse arbitrentur eoque studio, ut etiam de sermone puro discedant, impellantur, omnem modum transire soleant. Unde constructiones insolentes ut **§ 29.** *στέργε μὲν τὰ παρόντα* pro *στέργε μὲν τοῖς παροῦσιν*, unde *ὁμοιοτελεύτου* causa poeticas vel ionicas formas *καθιζάνουσαν* pro *καθίζουσαν* **§ 52.** (respondet sequenti *λαμβάνουσαν*), **§ 16.** *συνειδήσεις* pro usitato *συνείσει* (videtur convenire cum praecedenti *λήσειν*), **§ 44.** *εἰδήσεις* pro *εἴσει* (*τὴν μὲν γὰρ τούτων χρείαν ῥᾳδίως εἰδήσεις*,[1]) *τὸν δὲ μετ' εὐνοίας συμβουλεύοντα χαλεπῶς εὑρήσεις*) in orationem irrepsisse.

Talis autem argumentatio quamquam proxime ad probabilitatem accedere videtur, tamen difficilis non est ad refutandum. Nam in omnibus operibus eandem formam servare num profecto egregii scriptoris est? Nempe variae materiae eadem forma esse non potest: aliam laudatio, aliam oratio forensis, aliam adhortatio flagitat. Itaque non est mirum, quod prima, ut argumento ab orationibus epideicticis atque iudicialibus longe distat, ita formae diversitatem ostentat. At in secunda et tertia, quamquam ipsae quoque paraeneses sint, tamen talia multo rarius inveniri respondent et similiores eas esse orationibus alius, quam primae eiusdem generis. Sed opponere hic eadem licet, quae antea: scripta, ut locis, temporibus, aliis rebus, ita personis accommodanda esse. Secundae autem adhortationis praecepta — tertiam, cum praecepta minima eius parte contineantur, omittam — ad Nicoclem regem, amicum nobilissimum, ab amico, primae autem ad Demonicum adolescentulum a patris amico data sunt; illa ad hominem, quem pleraque dictorum ipsum scire orator dicit II, 40: *Καὶ μὴ θαυμάσῃς, εἰ πολλὰ τῶν λεγομένων ἐστὶν, ἃ καὶ σὺ γιγνώσκεις· οὐδὲ γὰρ ἐμὲ τοῦτο παρέλαθεν, ἀλλ' ἠπιστάμην, ὅτι τοσούτων ὄντων τὸ πλῆθος καὶ τῶν ἄλλων καὶ τῶν ἀρχόντων οἱ μέν τι τούτων εἰρήκασιν, οἱ δ' ἀκηκόασιν, οἱ δ' ἑτέρους ποιοῦντας ἑωράκασιν, οἱ δ' αὐτοὶ τυγχάνουσιν ἐπιτηδεύοντες* —; haec ad adolescentulum nullius experientiae, quem primis demum philosophiae elementis instructum esse e compluribus locis apparet (cf. I, 3, 51). Illius igitur paraeneseos forma, si de hac iudicamus, vix est respicienda.

Iam quomodo res hic sese habet? Isocrates, puto, cum Demonico bene vivendi praeceptorum syllogen componere vellet, quae ille non solum legeret, sed lectitaret et memoriae infigeret, figuris quam pluri-

---

[1]) Futurum verbi *οἶδα* bis inveni XIII, 3 *εἴσονται*, XIX, 2 *εἴσεσθε*, nusquam *εἴσει*.

mis ea exornabat, quae quantum animos delectent, ipse et loco supra allato (XII, 2) et V, 27 memorat: οὐδὲ γὰρ περὶ τὴν λέξιν εὐρυθμίαις καὶ ποικιλίαις κεκοσμήκαμεν αὐτὸν, αἷς αὐτός τε νεώτερος ὢν ἐχρώμην καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπέδειξα, δι' ὧν τοὺς λόγους ἡδίους ἂν ἅμα καὶ πιστοτέρους ποιοῖεν. Atque cum oratione ita exstructa animos vel maiorum natu multo magis moveri certum sit, quam ieiuna et arida expositione, quanto magis adolescentulorum, quos cum omnia scripta incompta, tum adhortationes, nisi amoenitas quaedam gracilitasque formae accedat, perhorrescere solere Isocrates haud ignorabat. Accessit, ut contentionum imprimis ornamentum quippe ad gnomas ob causas modo expositas aptissimum in permultis earum, quae vulgo circumferebantur, praevalens videret. Quid igitur? Talibus causis nonne Isocratem adduci potuisse putas, ut paululum a consuetudine recederet?

Gnomologii naturam alia quoque, quae orationis propria sunt, tueri dico, quorum excusationem e figuris arcessere non licet. Etenim cum praecepta, quae in or. I leguntur, communia sint et ad cotidianam vitam pertineant, omnia fere a prioribus seu poetis seu philosophis seu aliis tractata esse, multa tamquam proverbia magis minusve usitata in consuetudinem popularem transiisse non difficile est suspicari. Ex quibus sententiis pervulgatis Isocratem multa fortasse sibi ipsi non conscium transtulisse in syllogen suam nonne verisimillimum videtur? Facile enim est animadvertere, nosmet ipsos saepe singula verba vel constructiones tritissimas et divulgatas de origine non cogitantes sermoni nostro inserere. Quid? Oratorem talia communia etiam consulto et cogitate adhibuisse num a probabilitate magis recedit? Idem enim valere mihi videtur in sententiarum verbis servandis, quod de metris ipse ait IX, 11: ἢν γάρ τις τῶν ποιημάτων τῶν εὐδοκιμούντων τὰ μὲν ὀνόματα καὶ τὰς διανοίας καταλίπῃ, τὸ δὲ μέτρον διαλύσῃ, φανήσεται πολὺ καταδεέστερα τῆς δόξης, ἧς νῦν ἔχομεν περὶ αὐτῶν. Ut carmina in prosam transformata, etiamsi eadem verba retinentur, tamen prioris gravitatis et iucunditatis maxima parte privantur, ita sententiarum et proverbiorum, ne sensus vis infringatur, si non omnia verba, tamen insignia servari opus est. Qua de causa cum orator Demonicum iam multa e fonte modo commemorato hausisse conicere posset, periculum erat, ne effectus, si non prorsus deleretur, tamen magnopere imminueretur, si vulgari forma reiecta id solum anxie operam dabat, ne quid arcessiti aut insoliti in sermonis sui quasi arcanum se insinuaret; si minus, etiamsi sermo paululum deformabatur, tamen pro certo habere potuit, futurum esse, ut ea, quae ab ipso aliena erant, a Demonico quippe nota et amica benignius et libentius reciperentur. Utram viam eligeret? Nempe hanc, si modo efficacem esse adhortationem eius intererat.

Eandem autem fere rationem auctorem in eis sententiis tractandis observasse suspicor, quae non tam vulgo circumferebantur, quam in poetarum, philosophorum, aliorum libris exhibebantur. His enim Isocratem item usum esse ex II, 41 discimus: *ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἐν τοῖς λόγοις χρὴ τούτοις ζητεῖν τὰς καινότητας, ἐν οἷς οὔτε παράδοξον οὔτ᾽ ἄπιστον οὔτ᾽ ἔξω τῶν νομιζομένων οὐδὲν ἔξεστιν εἰπεῖν, ἀλλ᾽ ἡγεῖσθαι τοῦτον χαριέστατον, ὃς ἂν τῶν διεσπαρμένων ἐν ταῖς τῶν ἄλλων διανοίαις ἀθροῖσαι πλεῖστα δυνηθῇ καὶ φράσαι κάλλιστα περὶ αὐτῶν.*[1])

Veniam igitur dandam esse puto vocibus seu poeticis vel semipoeticis, seu ab Atticorum vel Isocratis usu alienis, ut **§ 3.** *συλλαμβάνειν* pro *βοηθεῖν*; **§ 46.** *τέρψεις εἰλικρινεῖς καὶ βεβαιοτέρας ἀποδιδόναι* = machen; **§ 19.** *πέλαγος διαπερᾶν* (hic ad *ἀντιθέσεως* causam provocare minus probabile est); **§§ 6, 13, 51.** voci *καλοκἀγαθία*, quam in aliis orationibus vitatam esse negari nequit; **§ 16.** praepositioni *σύν* (pro *μετά*), quam cum multi et alii scriptores, tum Isocrates fugerunt.[2]) Unde porro accus. plur. *γονεῖς* **§§ 14, 16,**[3]) formae epicae et ionicae *συνειδήσεις* et *εἰδήσεις* (cf. supra), activum *ἀποκρύπτειν* **§ 42.** pro solito medio *ἀποκρύπτεσθαι* fluxisse mihi videntur. Eandem originem redolet, quod **§ 6.** *χρόνος*[4]) et **§ 50.** *οἱ μῦθοι (λέγουσιν)* tamquam humana quadam specie induuntur (cf. V, 118 *ὅπως ἂν οἱ καιροὶ παραδιδῶσιν*); eandem, quod compluries superlativus neutrius generis sine genetivo usurpatur, quod additamentum Isocratis usui responderet, gnomarum autem brevitati nimis adversaretur: **§ 16.** *τέρψις γὰρ σὺν τῷ καλῷ μὲν ἄριστον* (Bens. desiderat *πάντων*), *ἄνευ δὲ τούτου κάκιστον,* **§ 34.** *ἡγοῦ κράτιστον εἶναι κτλ.*, **§ 40.** *μέγιστον γὰρ ἐν ἐλαχίστῳ νοῦς ἀγαθὸς ἐν ἀνθρώπου σώματι,* eandem redolent singulares *τῷ καλῷ* **§ 16.** et *ἐν ἐλαχίστῳ* **§ 40.**

---

[1]) Keil. Herm. XXIII, p. 375 contendit: „Innere, wie äussere Kritik haben die Demonicea als Fälschung erwiesen, die nicht nur im Anschluss an die erste Nicoclea, wie Albrechts Zusammenstellungen (Philol. 43, 244 ff.) zeigen, sondern auch, wie oft bemerkt, als direkte Ausführung der Worte der letzteren Rede *εἴ τις ἐκλέξειε τῶν προεχόντων ποιητῶν τὰς καλουμένας γνώμας κ. τ. ἑ.* (§ 44) gearbeitet ist". At nonne Isocrates ipse posterius id facere potuit? Ex his verbis nihil aliud effici posse puto, quam primam adhortationem post secundam scriptam esse.

[2]) cf. T. Mommsen. progr. Francofurt. 1874 p. 4 sq.

[3]) Huius formae causam e librariorum socordia fortasse repetas, ut II, 31 Urbin. et Vatic. (*Δ*) *βασιλεῖς* praebent, XV, 113 Laurent. *Χαλκιδέας,* ceteri codd. *Χαλκιδεῖς*.

[4]) *κάλλος μὲν γὰρ ἢ χρόνος ἀνήλωσεν ἢ νόσος ἐμάρανε.* Bens. etiam in notione verbi *ἀναλίσκειν* = verbrauchen offendit; iniuria ille quidem, eandem enim vim subicias VIII, 67, XV, 179, XVIII, 10; plerisque locis rem, in quam quid consumitur, Isocrates addit: *εἴς τι* V, 96, VII, 10, 66, IX, 60, XII, 140, XV, 113, 158, 165, 288; *ὑπέρ τινος* XV, 225.

Reliquum est, ut breviter moneam, cur, quae e gnomis petita videntur, per totam adhortationem dispersa sint; id enim adversarii magnopere urguent, ad gnomarum sermonem et brevitatem ea de causa non licere recurrere, quod tales discrepantiae non solum in praeceptis (§§ 13—43), sed etiam in prooemio et peroratione inveniantur: quasi vero his duabus orationis partibus non perinde permultae gnomae contineantur!

Quamvis autem probabilis sit opinio, de qua modo uberius disputavi, tamen difficillimum esse ostendere, quae fuerint gnomae, quibus Isocrates usus sit, e re ipsa sequitur; nam quamquam multa, quae aliis, praecipue septem sapientibus attribuuntur, simillima sunt eis, quae in or. I. leguntur, tamen cavendum est, ne ea temere in usum nostrum convertamus. Sed utut est, eorum, quae inveni eiusmodi, nonnulla iam conferam.[1])

Eadem contentio, quae **§ 9.** legitur et quae Lehmano d. L. offensioni est (p. 33) *ἀπέλαυε μὲν — ὡς θνητός, ἐπεμελεῖτο δὲ — ὡς ἀθάνατος* in Periandri dictis reperitur:

Ἔλπιζε ὡς θνητός. Φείδου ὡς ἀθάνατος.

(ap. Mull. frgg. philos. graec. I, p. 215).

Eundem sensum, quem **§ 14:**

τοιοῦτος γίγνου περὶ τοὺς γονεῖς, οἵους ἂν εὔξαιο περὶ σεαυτὸν γενέσθαι τοὺς σεαυτοῦ παῖδας

praebet Pittaci (Mull. I, p. 216)

Ἅπερ αὐτὸς τοῖς γονεῦσι δράσεις, τὰ αὐτὰ προσδέχου παθεῖν καὶ αὐτός.

Sententia **§ 16.**

τέρψις(γὰρ) σὺν τῷ καλῷ ἄριστον

concinit cum eiusdem Pittaci (Mull. I, p. 225, 7, Stob. IX, 33)

Ἡδονὴ σὺν τῷ καλῷ δίκαιον,

ubi etiam illud *σύν* castigatum occurrit.

§ 20. praeceptum *γίγνου εὐπροσήγορος* Periandro ascribitur (Stob. III, 80,14, Mull. I, p. 217).

§ 22. legitur:

δεῖ(γὰρ) τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας τρόπον ὅρκου πιστότερον φαίνεσθαι παρεχομένους:

simillimum est, quod Solonis apophthegma laudatur (Stob. III, 72, Mull. I, p. 212):

φύλασσε τρόπον καλοκἀγαθίαν ὅρκου πιστότερον.

---

[1]) Nonnulla iam Lehm. d. L. p. 39, ann. 1 laudavit.

§ 40. *μέγιστον (γὰρ) ἐν ἐλαχίστῳ νοῦς ἀγαθὸς ἐν ἀνθρώπου σώματι*

compara cum eis, quae Periandri traduntur (Stob. III, 56, Diog. Laert. I, 97; Mull. I, p. 231,8):

ἐρωτηθείς, τί μέγιστον ἐν ἐλαχίστῳ, εἶπε· Φρένες ἀγαθαὶ ἐν σώματι ἀνθρώπου.

§ 41. *πολλοῖς (γὰρ) ἡ γλῶττα προτρέχει τῆς διανοίας*

cf. cum Chilonis (Stob. III, 79, Diog. L. I, 70, Mull. I, p. 213,1)

ἡ γλῶσσά σου μὴ προτρεχέτω του νοῦ,

aut Pittaci (Orell. Opusc. sentent. I, p. 148, Mull. I, p. 216,7)

ἡ γλῶττα μὴ προτρεχέτω τοῦ νοῦ.

Sed huic apophthegmatum comparationi iam finem imponam, quamquam etiam multa et alia similia enumerare possum.[1]

Auctorem denique poetis quoque usum esse, e II, 43 concludi posse censeo (cf. Keil. Herm. XXIII, p. 378 sqq.): *σημεῖον δ' ἄν τις ποιήσαιτο τὴν Ἡσιόδου καὶ Θεόγνιδος καὶ Φωκυλίδου ποίησιν· καὶ γὰρ τούτους φασὶ μὲν ἀρίστους γεγενῆσθαι συμβούλους τῷ βίῳ τῷ τῶν ἀνθρώπων.* Quid enim? Horum optimorum *συμβούλων* nisi Isocrates nonnulla imitatus esset, nonne admiraremur? Complures igitur Theognidis locos optimo iure addere mihi licere puto, quos illi obversatos esse non est veridissimile.

Cf. **I, 19.**	
αἰσχρὸν γὰρ τοὺς μὲν ἐμπόρους — τοὺς δὲ νεωτέρους μηδὲ τὰς κατὰ γῆν πορείας ὑπομένειν ἐπὶ τῷ βελτίω καταστῆναι τὴν αὑτῶν διάνοιαν.	cum Theogn. v. 71 sq. (Poet. lyr. ed. Bergk. II, p. 126): *ἀλλὰ μετ' ἐσθλὸν ἰὼν βουλεύεο πολλὰ μογήσας καὶ μακρὴν ποσσίν, Κύρν', ὁδὸν ἐκτελέσας.*

[1]) Vel ad verbum sententia **§ 6.** *πλοῦτος κακίας μᾶλλον ἢ καλοκἀγαθίας ὑπηρέτης ἐστίν* in Anton. Byzant. Melissa (in serm. *περὶ πλούτου*) ut Chilonis affertur. Sed ne Antonii auctoritati nimiam tribuamus fidem, duo maxime errores eius impediunt, qui illustrantur florilegiis aliorum Byzantinorum, qui ex eodem sententiarum Democriti, Isocratis, Epicteti libro, quo Anton., hauserunt (de Byzantinorum fontibus summa cum diligentia et doctrina scripsit C. Wachsmuth, Studien zu den griech. Florilegien. Berlin 1882 p. 90 ff. (IV. Ueber das byzant. Florilegium „Parallela" und seine Quellen); de hoc fonte vid. p. 121). Quae enim leguntur **§ 17.** *εὐλαβοῦ τὰς διαβολὰς κἂν ψευδεῖς ὦσιν· οἱ γὰρ πολλοὶ τὴν μὲν ἀλήθειαν ἀγνοοῦσι, πρὸς δὲ τὴν δόξαν ἀποβλέπουσιν* ab Antonio in serm. *περὶ καταλαλούντων* (II, 69, p. 134, 20) Democrito affinguntur. Addunt autem Stob. XLIII, 7. *Ἰσοκράτους πρὸς Δημόνικον,* Maxim. 10, p. 563, 1. *Ἰσοκράτους,* Mel. August. c. 30 n. 1. *Ἰσοκράτους.* Quae exstant **§ 37.** *εἰς ἀρχὴν κατασταθεὶς μηδενὶ χρῶ πονηρῷ* e. q. sq. usque ad *τὰς αἰτίας*

Confer. I, 25.	cum Theogn. v. 489.
περὶ τῶν ῥητῶν ὡς ἀπορρήτων ἀνακοινοῦ..	Πρῆξιν μηδὲ φίλοισιν ὅλως ἀνακοίνεο πᾶσιν.
§ 31.	cum Theogn. v. 841.
τὰς χάριτας ἀχαρίστως χαριζόμενος..	Οἶνος ἐμοὶ τὰ μὲν ἄλλα χαρίζεται, ἓν δ' ἀχαρίστως....
§ 32.	cum Theogn. v. 485.
ἐξανίστασο πρὸ μέθης.	ἀλλ' ἢ πρὶν μεθύειν ὑπανίστασο.
§ 38.	cum Theogn. vv. 145 sqq.
μᾶλλον ἀποδέχου δικαίαν πενίαν ἢ πλοῦτον ἄδικον· τοσούτῳ γὰρ κρείττων δικαιοσύνη χρημάτων, ὅσῳ τὰ μὲν ζῶντας μόνον ὠφελεῖ, τὸ δὲ καὶ τελευτήσασι δόξαν παρασκευάζει e. q. sq. .	Βούλεο δ' εὐσεβέων ὀλίγοις σὺν χρήμασιν οἰκεῖν, ἢ πλουτεῖν ἀδίκως χρήματα πασάμενος. ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στιν, πᾶς δέ γ' ἀνὴρ ἀγαθός, Κύρνε, δίκαιος ἐών.

Ut e poetarum usu poetica, ita alia a consuetudine Isocratis aliena e gnomarum dictione sine ullo negotio repeti posse dico. Nam etiamsi, ut iam supra dixi, cavendum est, ne his similitudinibus tantum ponderis tribuamus, ut illa dicta singulorum locorum fontes esse censeamus, tamen non nimia audacia id efficere licet, talibus gnomis pervulgatis Isocrati viam esse monstratam, quam ingressus se gnomologium compositurum esse sperare potuit, quod ut ingenio populari conveniens in Demonici, cui primo destinatum erat, tum in aliorum quoque animos alte descenderet. Quod ei contigisse et magna cum arte eum omnes scopulos in tali molimine obstantes praetervectum esse, ex adhortatione ipsa satis patet. Nam neque in eo sermone, quem in reliquis alius generis orationibus sibi conformaverat, putide ita inhaesit, ut gnomarum gravitas et maiestas deleretur aut diminueretur saltem, neque nimis a consuetudine discessit — nam totam orationem indolem Isocrateam prae se ferre ipsi adversarii concesserunt[1] —, sed aurea mediocritate inter nimium et parum servata utrum-

---

ἀναθήσουσιν ab eodem Solonis laudantur in serm. περὶ ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας; Stob. XLVI, 21: ἐκ τοῦ Ἰσοκράτους πρὸς Δημόνικον. Max. 9, p. 197, 37: Ἰσοκράτους.

[1]) Multa Henk. collegit (p. 32 sq.), quibus similia in aliis orationibus inveniuntur. Varia eius generis addere possum. Ut mutantur participia *παρόντα* et *ὑπάρχοντα* (I, 9) V, 118; *τῶν ὑπαρχόντων ἀπολαύειν* (I, 32) confer cum *ἀπολαῦσαι τῶν ὑπαρχόντων* IV, 41; *τὸ πλῆθος θεραπεύειν* (I, 36) reperitur II, 16, XV, 70; *ἡ πεπρωμένη* (I, 43) X, 61; *εἰκότως* (I, 48) extremo enuntiato *γάρ* sequente VIII, 29, 113, XV, 136; porro voces *ἐπιτηδεύματα*

que optime commiscuit. Cui rationi praecipiendi maximam partem tribuendum est, quod Blassius, cui prorsus assentior, dicit: »Langeweile wird uns weit eher in den (supple „andern") isokratischen Gnomologien beschleichen, als in dieser, und sie bildet, nach den Worten eines neueren Herausgebers, eine ziemlich glänzende und durchaus nicht uninteressante Darlegung der gewöhnlichen Grundsätze der griechischen Moral.« (Att. Ber. II, p. 259).

(I, 12 bis, 36) et *ῥᾳθυμία* (I, 6), *ῥᾳθυμεῖν* (I, 9, 46) in omnibus orationibus usitatissimae sunt. Sed talia fortuita esse possunt. Pauca autem addam, quae magis sub aspectum veniunt. Plurales substantivorum abstractorum, quos Isocrates frequentat, alii oratores multo rarius adhibent, in hac quoque paraenesi multos legimus, ut § 1. *διάνοιαι, συνήθειαι, φιλίαι,* § 17. *διαβολαί,* § 21. *ἀτυχίαι,* § 32. *συνουσίαι,* § 35. *λῦπαι,* § 37. *αἰτίαι,* § 46. *πλησμοναί, τέρψεις* etc. (cf. Gehlert. l. d. p. 20). § 42. legitur: *ἐπὶ τοῖς συμβαίνουσι τῶν ἀγαθῶν* et *ἐπὶ τοῖς γιγνομένοις τῶν κακῶν:* Isocratis potissimum est, saepe adiectivi vel participii attributi et nominis substant. non eodem casu, sed huius genetivo partitivo uti. § 11. ex verbis *ἀλλὰ τὸ μὲν ἀκριβὲς αὐτῶν ἐν ἑτέροις καιροῖς δηλώσομεν* Isocratis stilus, ut Strang. (N. Jbb. f. Phil. Suppl. II. 1833, p. 76) monet, agnoscitur, cf. VII, 77, IX, 57, XII, 34, ep. VII, 10; item in *καὶ μὴ θαυμάσῃς* (I, 44), quod persaepe adhibetur, II, 40 (recte hic Bens. *θαυμάσῃς* pro *θαύμαζε* scribit, imperativi plurali tantum forma Isocrates utitur *μὴ θαυμάζετε,* cf. ep. VI, 7, ep. VIII, 10), V, 1, 81, 116, XI, 50, epp. I, 9, IV, 13, VII, 12, IX, 12.

III.

Quoniam dictionis discrepantiam nullius fere momenti esse satis ostendisse mihi videor, iam ad tertium Benseleri et aliorum indicium, quo spuriam esse adhortationem demonstrari putant, transeam. Quod pertinet primum ad turbatum praeceptorum ordinem, deinde ad praecepta ipsa quaedam, quae Isocrate indigna videantur.

Primum in ceteris orationibus, secunda excepta, tam severam dispositionem inesse, singula tam eximie inter se coniuncta esse, ut in ea arte ullum oratorem Isocrate superiorem esse contendi nequeat. Prorsus aliter in hac rem sese habere. Nam agi deinceps de ratione, qua dei colendi sint, de pietate erga parentes, de corporis exercitationibus, de modestia, de virtutibus, quae adolescentes maxime deceant, de facinoribus indecoris vitandis, denuo de deis colendis, de parentibus honorandis, de amicorum verecundia, de oboedientia legum, de voluptatibus decoris, de fama curanda, de discendi studio, de affabilitate et comitate, de exercitatione in laboribus et de continentia animi, de veritate, de iure iurando, de ratione, quae in amicos observanda sit, de vestitu, de divitiarum usu, de convictu humano, de socialitate, de humanitate, de amicitia, de regis morum imitatione, de magistratuum gerendorum ratione, de divitiis optimis, de ingenio excolendo, de aliis.[1])

Praeceptorum ordinem strictum non esse et nonnulla iterari nemo negabit; quaeritur autem, quid inde concludendum sit. Suspicari enim licet eam perturbationem non esse profectam ab auctore, ut Jahrius, quamquam orationem ab Isocrate abiudicat, magna diligentia frustra consumpta probare studet (p. 27 sqq.). Nitatur quispiam verbis hypotheseos *ἄρχεται δὲ ἀπὸ θείων, εἶτα εἰς γονέας μεταβαίνει, εἶτα φίλους καὶ οἶκον καὶ πατρίδα, τήν τε δίαιταν καὶ τὴν περὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν περὶ τὴν ψυχήν.*; inde enim Anonymum (Zosimum dicit

---

[1]) cf. Benseler J. J. LXXXII, 1860, p. 122 sq.

Westermannus) intacti ordinis paraenesin legisse videtur apparere. Bene autem Blassius ne maximis quidem enuntiatorum transpositionibus illam dispositionem constitui posse monuit. (Att. Ber. II, p. 255).

Schneider (l. d. ann. ad § 13) et Henk. (p. 26) ad or. II. spectantes primam excusant loco illo XV, 67 *οὐχ ὁμοίως δὲ γέγραπται* (sc. or. II) *τοῖς ἀνεγνωσμένοις. οὗτοι μὲν γὰρ τὸ λεγόμενον ὁμολογούμενον ἀεὶ τῷ προειρημένῳ καὶ συγκεκλειμένον ἔχουσιν, ἐν δὲ τούτῳ τοὐναντίον· ἀπολύσας γὰρ ἀπὸ τοῦ προτέρου καὶ χωρὶς ὥσπερ τὰ καλούμενα κεφάλαια ποιήσας πειρῶμαι διὰ βραχέων ἕκαστον ὧν συμβουλεύω φράζειν.* Eundem autem locum Bens. in suum usum convertit: »— so beweist die Entschuldigung einer Rede, die weit besser disponiert ist, als die unsere und deren etwaige Abweichungen von einem regelrechten Gange nicht einmal von Isocrates herrühren, nur, wie wenig isocratisch der Mangel aller Disposition und namentlich die Wiederholung eines und desselben Gedankens an den verschiedenen Stellen der Rede ist, da ja Isocrates schon das entschuldigen zu müssen glaubt, wenn nicht ein Gedanke streng aus dem andern folgt.« (l. d. p. 123).

Sed complura sunt, quae huic opinioni obiciam. Praeterquam enim quod in or. II. partitione praeceptorum, quae ad Nicoclis officia regia et ad vitam privatam spectant, dispositio quaedam ultro dabatur, etiam in altera parte[1]), licet omnia, quae in Antidosi desunt,[2]) non respicias, tamen nexus minus quam pro tam paucis paragraphis servatus est. Quid? quod, ut exemplum afferam, sententia illa, qua gloriam et virtutem omnibus aliis rebus multo anteponendas esse orator praedicat, § 32. *περὶ πλείονος ποιοῦ δόξαν καλὴν ἢ πλοῦτον μέγαν τοῖς παισὶ καταλιπεῖν,* § 36. *βούλου τὰς εἰκόνας τῆς ἀρετῆς ὑπόμνημα μᾶλλον ἢ τοῦ σώματος καταλιπεῖν,* § 37. *πειρῶ τῆς ψυχῆς ἀθάνατον μνήμην καταλιπεῖν* (quin etiam *καταλιπεῖν* ter repetitur!) ter expressa legitur? Noli igitur nimis sententiarum repetitionem in or. I. arguere. Ceterum non esse mirum arbitror, quod orator, quae apprime premere voluit, diversis locis denuo protulit. Quodcum vel in or. II, cuius argumentum longe distare a prima iam supra exposui, talia videamus, quanto magis ea in hac excusabimus. Nam illa, ut omnia denuo breviter complectar, magis epistolae, haec gnomologii indolem prae se fert; in illa vel praecepta, quae ad vitam pri-

---

[1]) Hanc conferam, cum argumentum eius, quamvis non ita multum, tamen magis quam prioris cum hac oratione congruat.

[2]) Omnia, quae in Antidosi non exstant, Benseler (de hiatu p. 37 sqq.) et Jahr. (p. 41 sqq.) et Keil. (Herm. XXIII, p. 361) insiticia esse volunt. Contra Brueckner in programm. Schweidnitiensi (1852) et Blass. (Att. Ber. p. 248 sq.) et Hartlich. l. d. p. 214 sq. authentiam locorum defendunt.

vatam spectant, artis circumscripta sunt finibus, in hac omnis fere vitae condicio perstricta est; illa ad regem, haec ad adolescentulum cui Is., quomodocunque singula in mentem venerunt, sine ulla dispositionis arte notavit, scripta est. Quod igitur in hac ordo minus servatus est, quam in illa, nonne illa discrimina ad hoc quoque illustrandum suppetunt? Nam magnus ille orator Isocrates non fuisset, si argumenti, indolis, aliarum rerum varietatem non respiciens omnia uno modulo ac pede metienda esse voluisset.

In verbis orationis XV. allatis Bens. excusationem nimis premit, iniuria ille quidem. Nam verba quasi prologum dicam, quo opus esse non tam ad excusandum, quam ad explicandum discrimen, quod inter orationem ad Nicoclem et Panegyrici et orationis de pace partes praelectas intercederet, Isocrates existimavit. Sine dubio autem, si quid paraeneseos ad Dem. proferre voluisset, idem fecisset.

Nequaquam autem omnia sic, ut leguntur, ab Isocrate scripta esse dico; immo multa postea transposita, nonnulla etiam ab interpolatoribus addita esse puto. Ac profecto mirum esset, si in hac paraenesi, quae, ut iam memoravi, posterioribus temporibus totiens lectitata et exscripta est, quotiens vix ulla alia, omnia et verba et enuntiata pristinum statum retinuissent. Qualis autem hic fuerit et quae ut ab aliis inserta exsecanda sint, difficillimum est eruere; nam etiamsi singula facile corrigi possunt,[1]) tamen ob huius adhortationis proprietatem satis expositam periculum est, ne quis, ut Jahrii exemplo illustratur, in mutando longius progrediatur.

Restat, ut de praeceptis ipsis, quorum complura nonnullis vv. dd. minime placuerunt, verba faciam.

Iam Stephanus in nonnullis quippe Isocratis gravitati non convenientibus offendit: »ad praeceptiones autem quod attinet, sicut plurimas esse Isocrate dignas non inficior, ita nonnullas de rebus levioribus esse puto, quam ut eius gravitati convenire possint: quasdam etiam, quae eius saeculo fortasse minus accommodatae fuisse aut minus necessariae videri queant« (Diatr. I, p. 5). Etiam acerbius Benseleri iudicium est: »So würden wir — in keinem Falle die Rede an Demonicus mit aufgenommen haben, und dies teils ihres confusen, allen Regeln einer wohl geordneten Rede widersprechenden und selbst in ihrer Moral bisweilen höchst verwerflichen Inhalts wegen......« (J. J. LXXXII 1860, p. 122). Sed eam causam adhortationis ab Isocrate abrogandae esse vv. dd. recte contendere nego. Concedo et ipse quidem nonnulla magis prudenter et caute, quam honeste dicta esse, ut illa, quae Lehm. d. L. p. 58 affert aliaque ut § 29. κακοὺς

---

[1]) cf. Keil. l. d. p. 377 sqq.; Hartlich. l. d. p. 218 sq.

εὖ ποιῶν ὅμοια πείσει τοῖς τὰς ἀλλοτρίας κύνας σιτίζουσιν e. q. sq.; sed in talibus iudicandis ad illud animum intendamus oportet, veteres, maxime autem Graecos illius aetatis de honesta vita aliud sensisse, aliud nos, et multa illos virtutis duxisse, quae nosmet reiciamus. Quod autem Isocrates, cum imprimis praecepta ad institutionem vitae communis pertinentia dare vellet, tempori serviit, num mirum est?

Porro Coraes et Paulyus quaedam castigaverunt, quae Isocrate, laudatore rei publicae Atheniensium, indigna viderentur. § 36. *μιμοῦ τὰ τῶν βασιλέων ἤθη καὶ δίωκε τὰ ἐκείνων ἐπιτηδεύματα· δόξεις γὰρ αὐτοὺς ἀποδέχεσθαι καὶ ζηλοῦν, ὥστε σοι συμβήσεται παρά τε τῷ πλήθει μᾶλλον εὐδοκιμεῖν καὶ τὴν παρ' ἐκείνων εὔνοιαν βεβαιοτέραν ἔχειν. πείθου μὲν τοῖς νόμοις ὑπὸ τῶν βασιλέων κειμένοις, ἰσχυρότατον μέντοι νόμον ἡγοῦ τὸν ἐκείνων τρόπον. ὥσπερ γὰρ τὸν ἐν δημοκρατίᾳ πολιτευόμενον τὸ πλῆθος δεῖ θεραπεύειν, οὕτω καὶ τὸν ἐν μοναρχίᾳ κατοικοῦντα τὸν βασιλέα προσήκει θαυμάζειν.* Itaque Paulyus hunc locum pro insiticio habet. Sed etiam hic longe alia mihi mens est. Num vere tam moleste feras, quod orator, etiamsi in democratia civis erat, exposuit, quomodo in monarchia se gerere oporteret? Magnopere eius interfuisse nonne verisimillimum est, filium amici, quamquam aut quod in civitate minus bene recta quam ipse erat, quam optime vivere? Accedit, quod viris doctis ita ratiocinantibus etiam tertia paraenesis Isocrati abroganda erat. Nam si Isocrates ab imperio regio omnino tam aversus fuisset, ut ne praecepta quidem ad bene in eo vivendum daret, num probabile esset eum (etiamsi Nicoclem ipsum loquentem inducit) scripturum fuisse III, 12 ..... *εἰ προεπιδείξαιμι πρῶτον μὲν τὴν πολιτείαν τὴν παροῦσαν* (sc. *μοναρχίαν*) *ὡς ἀξιόν ἐστιν ἀγαπᾶν οὐ μόνον διὰ τὴν ἀνάγκην οὐδ' ὅτι πάντα τὸν χρόνον μετὰ ταύτης οἰκοῦμεν, ἀλλ' ὅτι βελτίστη τῶν πολιτειῶν ἐστι.*, § 16. *καίτοι τίς οὐκ ἂν δέξαιτο τῶν εὖ φρονούντων τοιαύτης πολιτείας μετέχειν, ἐν ᾗ μὴ διαλήσει χρηστὸς ὢν μᾶλλον ἢ φέρεσθαι μετὰ τοῦ πλήθους μὴ γιγνωσκόμενος, ὁποῖός τίς ἐστιν; ἀλλὰ μὴν καὶ πρᾳοτέραν τοσούτῳ δικαίως ἂν αὐτὴν εἶναι κρίνοιμεν, ὅσῳπερ ῥᾷόν ἐστιν ἑνὸς ἀνδρὸς γνώμῃ προσέχειν τὸν νοῦν μᾶλλον ἢ πολλαῖς καὶ παντοδαπαῖς διανοίαις ζητεῖν ἀρέσκειν* e. q. sq.? Sed cum haec omnia genuina sint, etiam locum primae orationis ab Isocrate profectum esse non dubito confidenter dicere.

Cetera autem ex Isocratis mente ita exhausta comparent, ut ipse Stephanus paraenesin ad Demonicum »tanta doctrina tamque salubribus praeceptis refertam esse, ut vel illo Isocrate digna videri queant«, concedat. (Praef. ad Diatribas.).

Ac primum permulta occurrunt, quae nonnunquam vel ad verbum fere prima adhortatio cum altera communia habet. Collecta sunt haec ab Albrechtio (Phil. XLIII [1884] p. 244 sqq.) et Lehmano de

L. (l. d. p. 51 sqq.). Quid ex tanta similitudine effici possit, sub iudice lis est. Alii enim eam authentiae testimonium asciscunt; alii contrarium maxime, alii omnino nihil eam valere volunt, quandoquidem ad imitatorem tale quid revocare facile sit. Albrechtius duplicem esse illius quaestionis explicandae facultatem dicit: ambas adhortationes ex communi fonte fluxisse aut alteram alterius imitationem esse. Illam autem, cum similitudo nimia sit, non esse probabilem; in hac item duas vel tres datas esse: nam aut Isocratem ipsum in prima secundam aut in secunda primam, aut alium auctorem Isocratis orationem ad Nicoclem imitatum esse itaque falso paraenesin ad Dem. Isocrati ascribi. Quod quidem Albrechtio maxime arridet. Nam sic ratiocinatur, ne secundam paraenesin ex prima haustam putemus, locum illum impedimento esse, quo Isocrates eam orationem iucundissimam appellet, quae sententias aliorum quam plurimas coacervare et optime exornare possit;[1]) oratoris autem ipsius prius prolatas ibi non dici. Contra ne secundam quidem fontem esse posse; nam primam deteriorem esse, quam ut ab Isocrate ipso post illam multo meliorem composita esse possit. Illud quidem concedo, hoc non; nam quid de pravitatis orationis primae crimine iudicandum sit, in antecedentibus illustravi. Nihil igitur impedire mihi videtur, quominus eam imitationem secundae orationis ab Isocrate ipso profectam esse arbitremur.

Deinde inter reliquas quoque orationes Isocrateas et or. I. multae similitudines intercedunt, quarum nonnullas afferre mihi liceat.

Talis *ὑπερβολή*, qualis I, 11 exstat: *ἐπιλίποι δ᾽ἂν ἡμᾶς ὁ πᾶς χρόνος, εἰ πάσας τὰς ἐκείνου πράξεις καταριθμησαίμεθα*, et qualis a Blassio ab Isocratis consuetudine abiudicatur (Att. Ber II, p. 259), non semel vel bis, sed saepe reperitur, cf. VI, 47 *Ἀπείποιμεν δ᾽ἂν ἀκούοντές τε καὶ λέγοντες, εἰ πάσας τὰς τοιαύτας πράξεις ἐξετάζοιμεν.* 81. *Ἐπιλίποι δ᾽ἂν τὸ λοιπὸν μέρος τῆς ἡμέρας, εἰ τὰς πλεονεξίας τὰς ἐσομένας λέγειν ἐπιχειρήσαιμεν* (cf. VIII, 56, XII, 142); 96. *ἐφ᾽ αἷς ἕκαστος ἡμῶν οὕτως ἂν ἀλγήσειεν, ὡς οὐδεὶς ἂν τῶν ζώντων διὰ λόγου δηλώσειεν.* IX, 34 *εἰ μὲν οὖν — παραβάλλοιμεν, οὔτ᾽ ἂν ὁ λόγος ἴσως τοῖς καιροῖς ἁρμόσειεν οὔτ᾽ ἂν ὁ χρόνος τοῖς λεγομένοις ἀρκέσειεν.*

Translationes porro et comparationes ut I, 29, 32, 45, 52 confer cum VIII, 34 *ὅμοια πάσχοντας τοῖς δελεαζομένοις τῶν ζώων.* 103. *οὐδ᾽ ὅτι τὴν φύσιν ὁμοίαν ἔχει ταῖς ἑταίραις ταῖς ἐρᾶν μὲν αὐτῶν ποιούσαις, τοὺς δὲ χρωμένους ἀπολλυούσαις.* X, 10 — *ὥσπερ ἂν εἰ*

---

[1]) II, 41 — *ἀλλ᾽ ἡγεῖσθαι τοῦτον* (sc. *τὸν λόγον*) *χαριέστατον, ὃς ἂν τῶν διεσπαρμένων ἐν ταῖς τῶν ἄλλων διανοίαις ἀθροῖσαι πλεῖστα δυνηθῇ καὶ φράσαι κάλλιστα περὶ αὐτῶν.*

τις προσποιοῖτο κράτιστος εἶναι τῶν ἀθλητῶν ἐνταῦθα καταβαίνων e. q. sq.; ep. IV, 8 *παραπλήσιον — πεπονθὼς τῶν πεπλευκότων τισίν, οἳ τὸ πρῶτον, ὅταν χρήσωνται χειμῶσιν, οὐκέτι θαρροῦντες εἰσβαίνουσιν εἰς θάλατταν* e. q. sq. Rariora profecto talia sunt nec tam audacia, quam in or. I; sed ex omnibus eis, quae supra dicta sunt, causa patet: nam adolescentuli animus quo efficacius allici poterat, quam comparationibus e communi vita excerptis? Hac quoque de causa fortasse auctor compluries ad fabulas antiquas utpote unicuique adolescentium graecorum notas recurrit, cf. I, 8, ubi Hercules[1]) et Theseus, et I, 50, ubi Hercules et Tantalus commemorantur. Talibus fabulis sermonem exornare Isocratis esse nonnullis exemplis demonstrabo. Ut III, 26 Nicoclem deorum regnum laudantem facit; IV, 28 Cererem in Atticam venisse et incolas fructibus et mysteriis donasse, 68 Amazones, Martis filias, bellum contra Athenienses gessisse (cf. VI, 42, VII, 75, XII, 193), IX, 16 sq. Peleum Thetidem in matrimonium duxisse, X, 61 ab Helena Castorem et Pollucem fratres in deorum numerum relatos esse narrat; XI, 37 aetatem Persei, Herculis, Busiridis confert; multa et alia omitto. Quod in or. I. non ut alibi[2]) interdum fabularum fides in dubium vocata est, ad pietatem erga deos quadrat, quae Demonico prima omnium virtutum commendatur § 13. *πρῶτον μὲν οὖν εὐσέβει τὰ πρὸς τοὺς θεούς* e. q. sq. et § 16, ubi primo loco iubetur *τοὺς μὲν θεοὺς φοβοῦ.* Quae pietas erga deos iterum iterumque ab Isocrate celebratur vel postulatur, cf. III, 2, VIII, 135, ubi *τὸ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν εὐδοκιμεῖν* posthabetur *τῇ περὶ τοὺς θεοὺς εὐσεβείᾳ*, XI, 24, ubi pietas Aegyptiorum celebratur, XII, 124, ubi inter virtutes maiorum prima *ἡ εὐσέβεια περὶ τοὺς θεούς* praedicatur, 204: *οὐδεὶς γὰρ ὅστις οὐ τῶν μὲν ἐπιτηδευμάτων προκρίνει τὴν εὐσέβειαν τὴν περὶ τοὺς θεοὺς καὶ τὴν δικαιοσύνην τὴν περὶ τοὺς ἀνθρώπους καὶ τὴν φρόνησιν τὴν περὶ τὰς ἄλλας πράξεις.*

Praeter hanc pietatem et *φρόνησιν*, quam exercere Demonicus I, 40 item iubetur, hoc loco *ἡ δικαιοσύνη* nominatur. De qua virtute item et in or. I. et in ceteris orationibus saepe sermo est. Ut I, 38 iubetur: *ἀνέχου δ(ὲ) [τὸ] ἴσον ἔχων, ἵνα δοκῇς ὀρέγεσθαι τῆς δικαιοσύνης μὴ δι' ἀσθένειαν, ἀλλὰ δι' ἐπιείκειαν*, sic VIII, 35 *τὴν δικαιοσύνην τῆς ἀδικίας κάλλιον ἐπιτήδευμα εἶναι καὶ θεοφιλέστερον* orator dicit, cf. XV, 132: eos, qui placere velint, praeferre oportere — *τῶν λόγων τοὺς ἀληθεστάτους καὶ δικαιοτάτους* et XV, 255, ubi *λόγος ἀληθὴς καὶ νόμιμος καὶ δίκαιος ψυχῆς ἀγαθῆς καὶ πιστῆς εἴδωλον* appellatur. Eademn sententia, qua I, 39 melius esse *μετὰ*

---

[1]) Hercules persaepe ab Isocrate nominatur, IV, 60 sqq., V, 111 sq., 132, VI, 17, XII, 194, 205 saepius.

[2]) cf. III, 26, IV, 30, XI, 37 sq.

δικαιοσύνης detrimentum, quam *ἐξ ἀδικίας* fructum capere, cum iusti, si nulla alia re, tamen *ἐλπίσι σπουδαίαις* iniustis praestent, exponitur, VIII, 34 occurrit: *ὁρῶ — τοὺς(δὲ) μετ᾽ εὐσεβείας καὶ δικαιοσύνης ζῶντας — περὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχοντας.* Porro quod VIII, 63 ei, qui *εὐδοκιμεῖν* velit, opus esse *τήν τ᾽ εὐσέβειαν καὶ τὴν σωφροσύνην καὶ τὴν δικαιοσύνην καὶ τὴν ἄλλην ἀρετήν* legitur, praecepto respondet, quod Demonico datur I, 15: *ἡγοῦ μάλιστα σεαυτῷ πρέπειν αἰσχύνην* (quam colere Dem. ut adolescentulus praecipue iubetur), *δικαιοσύνην, σωφροσύνην.*

Omnino omnem virtutem ceteris rebus praeferendam esse, ut I, 5: *τῆς ἀρετῆς —, ἧς οὐδὲν κτῆμα σεμνότερον οὐδὲ βεβαιότερόν ἐστιν,* 7 *ἡ δὲ τῆς ἀρετῆς κτῆσις — μόνη μὲν συγγηράσκει, πλούτου δὲ κρείττων, χρησιμωτέρα δ᾽ εὐγενείας ἐστί* e. q. sq., 46 *τὸ δὲ περὶ τὴν ἀρετὴν φιλοπονεῖν — ἀεὶ τὰς τέρψεις εἰλικρινεῖς καὶ βεβαιοτέρας ἀποδίδωσι,* sic VIII, 32 legitur: *κακῶς εἰδότες, ὡς — πρὸς εὐδαιμονίαν οὐδὲν ἂν συμβάλοιτο τηλικαύτην δύναμιν, ὅσηνπερ ἀρετὴ καὶ τὰ μέρη ταύτης.*

Nec non ea sententia, qua continentem esse et contentum eis, quae quis habeat, optimum esse (cf. I, 27, 29, 32) dicitur, apud Isocratem nonnunquam occurrit, ut VIII, 6 *δεῖ — μὴ μεγάλων ἐπιθυμεῖν παρὰ τὸ δίκαιον, ἀλλὰ στέργειν τοῖς παροῦσιν, ὃ χαλεπώτατον πάντων τοῖς πλείστοις τῶν ἀνθρώπων ἐστίν,* 7 *ὥστ᾽ οὐδ᾽ οἱ κεκτημένοι τοὺς μεγίστους πλούτους μένειν ἐπὶ τούτοις ἐθέλουσιν, ἀλλ᾽ ἀεὶ τοῦ πλείονος ὀρεγόμενοι περὶ τῶν ὑπαρχόντων κινδυνεύουσιν,* 93. *ὧν οὖν ἄξιον τὴν διάνοιαν ζηλοῦν, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον τῶν — προαιρουμένων μέτριον βίον μετὰ δικαιοσύνης μᾶλλον ἢ μέγαν πλοῦτον μετ᾽ ἀδικίας.*

Ceteroquin divitiae non ita magni aestimantur, cf. I, 6 *πλοῦτος δὲ κακίας μᾶλλον ἢ καλοκἀγαθίας ὑπηρέτης ἐστίν* e. q. sq. et ep. VII, 1, ubi Timotheus laudatur, quod praeferat *δόξαν καλὴν κτήσασθαι μᾶλλον ἢ πλοῦτον μέγαν συναγαγεῖν.* Haec *δόξα καλή* ab Isocrate iterum iterumque praedicatur. Velut quod sexcenties in ceteris orationibus occurrit, illud *προαιρεῖσθαι καλῶς ἀποθανεῖν ἢ ζῆν αἰσχρῶς,* Demonico praecipitur I, 43: *ζήτει τὴν ἐκ τοῦ πολέμου σωτηρίαν μετὰ καλῆς δόξης, ἀλλὰ μὴ μετ᾽ αἰσχρᾶς φήμης· τὸ μὲν γὰρ τελευτῆσαι πάντων ἡ πεπρωμένη κατέκρινε, τὸ δὲ καλῶς ἀποθανεῖν ἴδιον τοῖς σπουδαίοις ἡ φύσις ἀπένειμεν.* VI, 59 dicit Isocrates nihil esse tantum malum, quantum *τὸ κακῶς ἀκούειν ὑπὸ τῶν πολιτῶν,* et summo cum studio adolescentulum monet, ut *τὰς διαβολάς* caveat I, 17: *εὐλαβοῦ τὰς διαβολάς, κἂν ψευδεῖς ὦσιν· οἱ γὰρ πολλοὶ τὴν μὲν ἀλήθειαν ἀγνοοῦσι, πρὸς δὲ τὴν δόξαν ἀποβλέπουσιν* et XV, 18 nihil peius *τῆς διαβολῆς* dicit, *ἣ ποιεῖ τοὺς μὲν ψευδομένους εὐδοκιμεῖν, τοὺς δὲ μηδὲν ἡμαρτηκότας δοκεῖν ἀδικεῖν* e. q. sq. Qua de causa semper *τὸ παρὰ τῷ*

πλήθει εὐδοκιμεῖν et *τὸ πλῆθος θεραπεύειν* permagni facit, cf. I, 36, II, 16, XV, 70, saepius.

Amicos beneficiis conciliandos esse et ex I, 33 *οὓς ἂν βούλῃ ποιήσασθαι φίλους, ἀγαθόν τι λέγε περὶ αὐτῶν πρὸς ἀπαγγελοῦντας· ἀρχὴ γὰρ φιλίας μὲν ἔπαινος, ἔχθρας δὲ ψόγος* et ex ep. IV, 9 *πάντων ἐστὶν ἥδιστον καὶ λυσιτελέστατον πιστοὺς ἅμα καὶ χρησίμους φίλους κτᾶσθαι ταῖς εὐεργεσίαις* e. q. sq. discimus. Plerorumque hominum esse magis eos amare, qui omnia vel falso facta laudent atque etiam malis cupiditatibus assententur, quam eos, qui bona concilia, sed fortasse acerba dent, orator haud ignorat, cf. XV, 133 *μᾶλλον φιλοῦσι τοὺς πρὸς χάριν ὁμιλοῦντας, ἢ τοὺς εὖ ποιοῦντας* e. q. sq. et epp. II, 1, IX, 6; itaque in or. I. Demonicus admonetur, ne praeferat *τῶν φίλων τοὺς πρὸς τὸ φαυλότατον χαριζομένους*, cum alias in vita non habeat *τοὺς πρὸς τὸ βέλτιστον ἀπεχθανομένους* (§ 30; cf. §§ 44, 45).

IV, 81 maiores celebrantur, quod *πιστοτέροις (μὲν) τοῖς λόγοις ἢ νῦν τοῖς ὅρκοις* utantur: respondent huic laudationi ea, quae I, 22 dicuntur: *δεῖ γὰρ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας τρόπον ὅρκου πιστότερον φαίνεσθαι παρεχομένους.*

Aequum esse unumquemque ita se gerere in alios, ut illos in se agere velit, III, 61 legitur: *ἃ πάσχοντες ὑφ' ἑτέρων ὀργίζεσθε, ταῦτα τοὺς ἄλλους μὴ ποιεῖτε*, simile quid I, 21 invenitur, ubi *ἡ ἐγκράτεια τῆς ὀργῆς* explicatur: *ἔσει δὲ τοιοῦτος, ἐὰν — τῇ(δ')ὀργῇ παραπλησίως ἔχῃς πρὸς τοὺς ἁμαρτάνοντας, ὥςπερ ἂν πρὸς ἑαυτὸν ἁμαρτάνοντα καὶ τοὺς ἄλλους ἔχειν ἀξιώσειας* et § 14. *τοιοῦτος γίγνου περὶ τοὺς γονεῖς, οἵους ἂν εὔξαιο περὶ σεαυτὸν γενέσθαι τοὺς σεαυτοῦ παῖδας.*

Omnia porro, quae Isocrates *πεπαιδευμένου* XII, 30 profert, ad praecepta, quae Demonico dantur, quadrant: *πρῶτον μὲν* (sc. *καλῶ πεπαιδευμένους*) *τοὺς καλῶς χρωμένους τοῖς πράγμασι τοῖς κατὰ τὴν ἡμέραν ἑκάστην προσπίπτουσι* e. q. sq.: per totam or. I. eius generis praecepta dispersa sunt; *ἔπειτα*, pergit orator, *τοὺς πρεπόντως καὶ δικαίως ὁμιλοῦντας τοῖς ἀεὶ πλησιάζουσι* e. q. sq.: cf. I, 20 *τῷ μὲν τρόπῳ γίγνου φιλοπροσήγορος* e. q. sq. — *ἔστι δὲ φιλοπροσηγορίας μὲν τὸ προσφωνεῖν τοὺς ἀπαντῶντας, εὐπροσηγορίας δὲ τὸ τοῖς λόγοις αὐτοῖς οἰκείως ἐντυγχάνειν*, et I, 30 *γίγνου πρὸς τοὺς πλησιάζοντας ὁμιλητικός, ἀλλὰ μὴ σεμνός* e. q. sq.; *ἔτι δὲ* (XII, 31 sq.) *τοὺς τῶν μὲν ἡδονῶν ἀεὶ κρατοῦντας, τῶν δὲ συμφορῶν μὴ λίαν ἡττωμένους, ἀλλ' ἀνδρωδῶς ἐν αὐτοῖς διακειμένους* e. q. sq.· *τέταρτον, ὅπερ μέγιστον, τοὺς μὴ διαφθειρομένους ὑπὸ τῶν εὐπραγιῶν μηδ' ἐξισταμένους αὐτῶν μηδ' ὑπερηφάνους γιγνομένους, ἀλλ' ἐμμένοντας τῇ τάξει τῇ τῶν εὖ φρονούντων* e. q. sq.: cf. I, 21 *ὑφ' ὧν κρατεῖσθαι τὴν ψυχὴν αἰσχρόν, τούτων ἐγκράτειαν ἄσκει πάντων* e. q. sq. et I, 42 *οὕτω*

γὰρ οὔτ' εὐτυχῶν ἔσει περιχαρὴς οὔτε δυστυχῶν περίλυπος. χαῖρε μὲν ἐπὶ τοῖς συμβαίνουσι τῶν ἀγαθῶν, λυποῦ δὲ μετρίως ἐπὶ τοῖς γιγνομένοις τῶν κακῶν.

Videmus igitur pauca illa praecepta a nonnullis castigata ab Isocrate non abhorrere, plurima autem ceteris quoque orationibus contineri — ne impetus quidem tectus in sophistas, in quos quantopere Isocrates occasione data invehatur, notum est (cf. X, 1 sqq., XI, 43, XII, 1 sqq., or. XIII, XV, 2.) deest, cf. I, 3 sq. —; nec intellego, cur ea, quae alibi non diserte leguntur, ab oratore attico profecta esse negemus.

Iam ad finem perduxi disputationem. Omnibus criminibus penitus examinatis persuasissimum habeo, non esse causam, cur paraenesin ad Dem. ab Isocrate, cuius inter scripta tradita est, abiudicemus.

Vita.

Ricardus Bruno Ponickau natus sum in vico Muelsen St. Jacob a. d. XVI. Kal. Dec. a. h. s. LXI patre Brunone, quem praematura morte absumptum valde doleo, et matre Adelaida e gente Koehler. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum rudimentis imbutus sum in vico patrio, tum in schola urbana Hohensteinensi, ad quam dirigendam pater, cum nonum annum agebam, vocatus erat. Ab anno decimo tertio usque ad annum undevicesimum illustris scholae provincialis Afranae instructione usus sum. Maturitatis testimonium adeptus postquam Misniae per unum annum militavi, in universitatem Lipsiensem me contuli, ubi initio theologiae operam dedi, tum autem ad studia philologica transgressus sum. Audivi viros doctissimos Arndt, de Bahder, Baur, Brugmann, Curtius, Eckstein, Fricke, Heinze, Hildebrand, Kahnis, Lange, Lipsius, Ribbeck, Richter, Ryssel, Schmidt, Schulze, Voigt, Wachsmuth, Wundt, Zarncke. Praeterea per unum semestre seminario philologico sodalis extraordinarius interfui et Zarnckii et de Bahderi seminarii germanici et seminarii paedagogici Richtero praeside per terna semestria particeps fui. Societatem Lipsianam quinque, Ribbeckianam quattuor semestria frequentavi.

Omnibus his viris doctissimis, imprimis Lipsio, Ribbeckio, Wachsmuthio, Zarnckio gratias debeo maximas semperque debebo.

Anno h. s. LXXXVIII examine pro candidatura superato inde ab huius anni initio iussu ministerii regii candidatus probandus in gymnasio Zwiccaviensi versor Erlero rectore.

